

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Buccella sicca cum gaudio melior victimis cum jurgio : servus sapiens regem filios stultos : Dominus corda probat : disperens pauperem despiciit Deum : corona senum nepotes : colans delictum comparat amicos : fatuus in stultitia confidit : stulto inutilis dicitur : altam faciens domum querit ruinam : omni tempore diligit amicos : animus gaudens floridam facit corpus, tristis exsiccet : in facie sapientis luget sapientia : stultus tacens reputabitur sapiens.

1. Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. 2. Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hereditatem dividet. 3. Sicut igne probatur argentum, et aurum camino : ita corda probat Dominus. 4. Malus obedit linguae iniquae, et fallax obtemperat labiis mendacibus. 5. Qui despiciit pauperem, exprobat factori ejus : et qui ruina letatur alterius, non erit impunitus. 6. Corona senum, filii filiorum : et gloria filiorum, pater eorum. 7. Non decet stultum verba composita : nec principem labium mentiens. 8. Gemma gratissima, expectatio praestolantis : quocumque se vertit, prudenter intelligit. 9. Qui celat delictum, quaerit amicitias : qui altero sermone repetit, separat federatos. 10. Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plegae apud stultum. 11. Semper jurgia quaerit malus : angelus autem crudelis mittitur contra eum. 12. Expediit magis ursae occurrere raptis foetibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua. 13. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. 14. Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum : et antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit. 15. Qui iustificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. 16. Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? Qui altam facit domum suam, quaerit ruinam : et qui evitat discere, incidit in mala. 17. Omni tempore diligit qui amicus est : et frater in angustiis comprobatur. 18. Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo. 19. Qui meditatur discordias, diligit rixas : et qui exallat ostium, quaerit ruinam. 20. Qui perversi cordis est, non inveniet bonum : et qui vertit linguam, incidit in malum. 21. Natus est stultus in ignominiam suam : sed nec pater in fatuo letabitur. 22. Animus gaudens aetatem floridam facit : spiritus tristis exsiccet ossa. 23. Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas iudicii. 24. In facie prudentis luget sapientia : oculi stultorum in finibus terrae. 25. Ira patris, filius stultus : et dolor matris, quae genuit eum. 26. Non est bonum, damnum inferre justo : nec percutere principem, qui recta iudicat. 27. Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est : et pretiosus spiritalis vir eruditus. 28. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur : et si compresserit labia sua, intelligens.

4. MELIOR EST BUCCELLA SICCA (Theodotus, buccella per se, scilicet sola sine obsonio) CUM GAUDIO, QUAM DOMUS PLENA VICTIMIS CUM JURGIO. — Hebraice, melior est buccella sicca et pax in ea, quam domus plena victimis jurgi; Septuaginta, melior est buccella cum coluptate in pace, quam domus multorum banquetium, et injurarum victimarum cum jurgio; Syrus, melior est panis sicca cum tranquillitate, quam domus plena victimis jurgi, id est victimis lite per iudicem in iudicio extortis; S. Ambrosius, lib. II

Offic. cap. XXI: «Melior est panis in suavitate cum pace.» Pro gaudio hebraice est מנוחה *salva*, id est pax, tranquillitas, salus, felicitas, prosperitas (unde Latinum *salvo*, quo salutatio apprecatur aliis salutem, prosperitatem et pacem), indeque gaudium; nusquam enim est gaudium, nisi in tranquillitate et salute: sicut ex adverso nusquam est tristitia, nisi ubi est adversitas, dissidium et jurgium hominis, vel cum proximo, vel cum Deo, vel secum in mente. Unde clare Vatablus, *melior*

est frustum siccam panis cum tranquillitate, quam domus plena mactatis pecoribus cum contentione.

Primo, R. Salomon sic exponit, q. d. Melior egit Deus, cum domum suam, id est Jerusalem et templum, delevit per Chaldaeos et Romanos, ac Iudeos redegit ad inopiam, ut sicco pane ventrem satiet. quam cum permisit, ut in urbe et templo Iudae victimas jurgis plenas sibi offerrent: nam, excisa Jerusalem et templo, finem sceleribus Iudaeorum imposuit. Verum hoc non tantum mysticum, sed et alienum ac violentum est. Excisi enim urbe Iudaeis non fuit *salva*, id est pax, salus et prosperitas, sed summa tribulatio et adversitas.

Secundo, Aben-Ezra hunc versum connectit duobus praecedentibus: «Melior est patiens viro forti,» etc., q. d. Melior est ei, qui animum suum ab ira pro patientiam coeret, buccella arida cum mentis tranquillitate, quam domus plena jurgi et dissidii, quibus assidue ad iram concitetur fiatque impatiens. Rursus, solent fortes urbium expugnatores spoliis et deliciis affluere: quare beatiores videntur pauperibus multa patientibus. Verum refutat id Salomon, dicens: Melior est frustum cum pace, quam mensa opipara cum lite. Sic et R. Levi: Persequitur, inquit, pacis laudes, dissidiaeque et rixas improbat, cum inquit satius esse ut quis sicco pane vescatur absque ullo obsonio, tranquillitate gaudens, quam si jurgis libitibusque obvolutus, victimas carnesque ad satietatem comederet.

Tertio, alii passim hanc gnomen ut independentem a praecedentibus, absolute et generatim accipiunt, q. d. Satius est pane arido vesci et frui pace, quam opipare convivari cum lite et jurgio. Victimae enim lactiores et opiparas dapes et carnes significant; tales enim solebant Deo pro victima offerri, ac post oblationem et immolationem ab offerentibus comedi. Sacrificium enim concludebant epulo sacro et lauto, ut dixi *Levit. II*. Ratio a priori est, quia pax et letitia majus sunt bonum et praestantius omnibus deliciis: sicut ex adverso discordia et jurgia majus malum sunt, et pejora paupertate, et quavis cibi vilitate.

Audi S. Ephrem, tract. *De Patientia et consumptione saeculi*: «Melior est buccella panis in sale cum quiete et tranquillitate, quam mensa sumptuosius instructa dapibus cum distractionibus et curis. Audi dicentem Dominum: Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Reficere te cupit Dominus a curis, ab ira, a tribulationibus atque distractionibus hujus saeculi. Vult te liberum esse a gravi opere atque labore laterum Aegypti. Vult te in solitudinem adducere, hoc est ad sanctam quietem, ut vias tuas illuminet columna nubis, ut cibet te manna, pane scilicet tranquillitatis atque quietis; ut hereditate percipias terram bonam, supernam nempe Jerusalem.» Et paulo ante vitae quiete commoda admirans, exclamat: «O quies, mo-

nachorum profectus! O quies, scala caelestis! O quies, via regni caelorum! O quies, compunctionis mater! O quies, pontificiae conciliatrix! O quies, peccatorum speculum, quae homini sua scelera atque delicta ostendis! O quies, quae lacrymas nequaquam impedis! O quies, mansuetudinis proreatrix! O quies, humilitatis contubernalis ac socia! O quies, quae ad pacificum statum hominem perducit. «Et nonnullis interjectis: «O quies, animae securitas! O quies, jugum suave, et onus leve, reficiens portansque portantem te! O quies, animae ac cordis letitia! O quies, oculorum et aurium, linguaeque frenum! O quies, proacacitatis interemptrix, et impudentiam inimica! O quies, pietatis ac religionis mater! O quies, passionum carcer! O quies, omnis virtutis cooperatrix! O quies, voluntariae paternitatis hospita et amica! O quies, Christi ager, fructus optimos proferens! O quies, divino timori conjuncta, murus ac propugnaculum decertare cupientium propter regnum caelorum!»

Porro, quia triplex est pax et triplex lis, ut jam insinuavi, scilicet cum Deo, cum hominibus et secum, sive cum animo suo: hinc tripliciter haec gnomen exponi potest: primo, de pace et lite cum hominibus, quam proprie et genuine hic iudicetur intendere Salomon, q. d. Melior est mensa frugalis cum pace, quam opipara cum jurgio, ubi scilicet convivae sint aemuli vel rixosi, qui tecum et cum aliis jurgentur et rixentur. Sic gnomen haec quasi parallela respondet illi cap. xv: «Melior est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio:» pax enim superat omnes delicias, quarum sensum sopit exlinguitque lis et contentio. Secundo, de pace et gaudio, quam secum habet mens sibi bene conscia, cui opponitur mens quae secum ob remorsum assidue jurgatur et contendit; et sic erit haec sententia similis ei, quae preit praedicto loco: «Melior est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles.» Melior est enim cum letitia mentis sibi bene consciae pane sicco vesci, quam habere domum referentem delicatissimis cibis, sed ob quos male partos mens inquietata est, et rixatur intra se. Veritatem hujus sententiae exponiuntur scrupulosi et anxii, quibus ob scrupulos ita mens laceratur et cruciatur, ut nullus eis cibis sapiat. Ita Hugo. Melior est, inquit, buccella sicca, id est modica substantia cum pace mentis, quam multa divitiae cum cura et sollicitudine, quae est jurgium mentis. Tertio, Polychronus in *Catena Graecorum* exponit de pace et lite, quam mens per gratiam vel peccatum habet cum Deo, q. d. Praestitit pauperem vitam agere in Dei gratia, quam lautam in peccato Dei quae offensiva, juxta illud Tobiae ad filium, cap. iv, vers. 23: «Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timerimus Deum.» Aut, ut Polychronus: Praestabilior est exigua caelestis sapientiae quae pacem cum Deo affert, portio, quam uni-

versa illorum sapientia, qui Deo adversantur. Porro hae sententia, cum sit generalis, variis particularibus casibus aptari potest, ut libris forensibus, domesticis, privatis et publicis.

Mystice Bada, q. 2. « Melior est parva bona cum charitate facere sine scientia predicandi (hoc est enim sicam esse buccellam), quam magis effulgere virtutibus cum admixtione discordiae. »

Secundo, Baynus: Secretior erit « sensus, alii, si ad animae dotes referatur, ut per buccellam sicam intelligamus Dei sapientiam in sacris Litteris reconditam, de qua Paulus: Loquimur sapientiam inter perfectos. Et quamvis sapientia huius mundi seculari eloquentia suffaricata, plenior et delicatior appareat hominibus, tamen qui videtate scientiarum sunt inflati, superbi et litigare solent. Nam inter superbos semper sunt iurgia. Melior est igitur buccella sacrae paginae cum tranquillitate animi. »

Allegorice, R. Samuel Marochianus, libro *De Adventu Messiae*, et S. Thomas, opusc. *De Sacramento altaris*, hanc gnomen exponunt de Eucharistia, q. d. Melior est buccella sica, id est buccella Eucharistiae sola, quam omnes legis veteris victimae; vel buccella sica, id est incruenta hostia Eucharistiae, quae cum mentis gaudio sumitur, melior, id est sapidior et prestantior, est, quam omnes regum epulae. Unde aliqui vertunt, melior est buccella desiccans. Eucharistia enim desiccatur libidinis et concupiscentiae humores, motus et aestus. Hugo vero: Melior est, ait, buccella Eucharistiae sica sine potu lacrymarum, sine pulmento devotionis, sine condimento contritionis, cum gaudio spei et mundae conscientiae, quam domus plena victimis, id est quam opera prudentiae et mortificationis, quibus multa vitiorum animalia Deo mactantur cum iurgio, id est cum inimicitia Dei, vel cum iurgio, id est cum carnis rebellionem; licet enim hoc bonum sit, prius tamen est melius.

Tropologicae idem Hugo: « Melior est buccella sica cum gaudio, » id est, inquit, melior est elemosyna modica cum hilaritate, quam multa et magna cum oburgatione et tristitia; secundo, q. d. Melior est modica penitentia cum mentis hilaritate, quam magna corporis afflictio cum mormuratione. Unde S. Hieronymus: Mellus est, inquit, paucos psalmos cum hilaritate animi canere, quam tuum Psalterium cum tristitia transcurrere. Haec Hugo.

2. SERVUS SAPIENS DOMINABITUR (Arabicus, dominatum tenet, obtinet) FILIIS STULTIS, ET INTER FRATRES HEREDITATEM (Arabicus, partes) DIVIDET. — Septuaginta, servus intelligens dominabitur dominorum stultorum (Romani et S. Ambrosius loco modo citando, reges dominos stultos, in fratribus autem dividit partes; Syrus, dividet lucrum. Pro filiis stultis hebraice est מְבִישִׁים meis, id est filio pudescenti, scilicet patrem; Vatablus, filio dedecoroso; Syrus, filio confusione efficienti; Chaldaeus, filio impudenti,

aut potius probum concilianti; Symmachus et Theodotus, filio confudenti, q. d. Servus sapiens ob sapientiam reges filios stultos sui heri, et ab eo institutus moderator et curator illorum, vel etiam ut haeres ab eodem cum filiis allectis, inter eos dividit hereditatem, quo colligendum relinquit, quod sapientia, id est prudentia, ab probis, nobilior et prestantior sit libertate, utpote quae adferat dominium, hereditatem et libertatem. Salomonem saeculus Siraides: « Servo sensato, ait, liberi servant, » Ecli. cap. x, vers. 28, ubi hunc versum explicui: quare hic iola non addam.

Vide S. Ambrosium in *Psalm.* civ, ubi fuse docet solum sapientem esse liberum, ac proinde omnem insipientem esse servum, quia servitute insipientiae ac concupiscentiae, ac proinde par esse ut insipiens serviat sapienti et ab eo regatur, sicut Joseph, cum esset servus, ob sapientiam a Pharaone praepositus fuit toti Aegypto, *Genes.* xli: « Contractus, ait, non mutat genus, nec sapientie libertatem admittit. Denique famulo sapienti multi (ut scriptum est) servantur liberi: et est servus intelligens qui regat dominos stultos. Quomodo ergo magis liberum censet? sola est sapientia libera, quae divitibus pauperes praeficit, et quae servos propriis fenerare dominis facit, fenerare, non pecuniam, sed intellectum, fenerare talentum illius Domini aeternique thesauri qui nunquam corrumpitur. » Et inferius: « Sapiens enim semper liber est, omnes honoratus, semper is qui praesit legibus. Sapiens ergo liber: quoniam qui et facit quae vult, liber est. Sed non omnis homo voluntatis, sed tantum sapientis est omnia quae bona sunt, velle. » Et mox: « Sapiens nihil insipienter facit, sed sapienter omnia; qui autem sapienter facit, nihil habet quod metuat. Metus enim in peccato est; ubi autem nulla formido, ibi libertas; ubi libertas, ibi potestas faciendi quod vult. Solus ergo sapiens liber est. » Et post nonnulla: « Est ergo sapienti et servire libertas. Unde colligitur, quia stulto et imperare servus est: et (quod peius est) cum paucioribus praesit, pluribus dominis et gravioribus servit. Servit enim propriis passionibus, servit cupiditatibus suis, quorum dominatum nec nocte potest fugere, nec die, quia intra se dominos habet, intra se servitum patitur intolerabile. » Et rursum: « Servus igitur peccator formidini, servit etiam cupiditati, servit avaritiae, servit libidini, servit malitiae, servit iracundiae, et videtur sibi liber; sed magis servit, quam si sub tyrannide posita. Illi autem liberi sunt, qui legibus vivunt, imo ipsi sibi lex sunt. » Citat deinde laudatque epistolam Calani Gymnosophistae ad Alexandrum Nagnum: « Amici, ait, persuadent tibi manus et necessitatem inferre Iudorum philosophis, nec in somnis quidem videntes nostra opera. Corpora transferes de loco ad locum, animos non magis coges facere quod nolunt, quam saxa et ligna vocem emittere. Maximum ignis viventibus corporibus dolorem

gignit et corruptionem, super hunc nos sumus; vivi enim exurimur. Non est rex, neque princeps, qui extorquet a nobis facere quod non proponimus: nec similes sumus Graeciae philosophorum, qui verba pro rebus meditati sunt ad opinionis celebritatem. Nobis res sociae verbis, et verba rebus; res celeres, et sermones breves, in virtute nobis libertas beata est. » Deinde de Calano et philosophis praefrens sapientes fideles, virgines et Martyres, subdit: Apud nos autem et puellae de mortis appetentia sublimes usque ad caelum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnetem, quid Pelagiam loquar, quae tanquam nobilia vitulina pullolantes, ad mortem quasi ad immortalitatem festinaverunt? Inter leones virgo exultavit, et rudentes bestias expectavit intrepida. Et, ut nostra cum Iudorum Gymnosophistis conferamus, quod ille verbis gloriosus est, S. Laurentius factis probavit, ut vivus exureret, et flammis superstes diceret: Versa, manduca. Haec degener Abrahamitarum et Machabeorum concertatus puerorum, quorum alii super flammam calebant; alii, cum exurentur, non rogabant ut parceretur; sed invehebantur, ut amplius persecutor inflammaretur. Liber igitur sapiens. Quid autem sublimius S. Pelagia, quae vallata persecutoribus, priusquam tamen in eorum conspectum veniret, aiebat: Volens morior, nemo continget manu, nemo oculo protervo violabit virginem. Mecum feram pudorem, et mecum incolumem verecundiam, nullum predoneum lucrum sui capient insolentiam. Pelagia Christum sequetur, libertatem nemo auferet, nemo captivam videbit liberam fidem, insignemque pudicitiam, et prosapiam prudentiam. » Dixit et fecit. Nam, ut lenonum manus effugeret, cum matre et sororibus in fluvium praecipitem se dedit, virginitatis aequae ac martyrii victimam, uti narrat idem S. Ambrosius, lib. III *De Virginitate*, ubi asserit eam quindecim duntaxat fuisse annorum. Si sapiens dominatur ignibus, leonibus, equaleis, gladiis, aquis ipsique morti, quidni dominetur insipientibus, eosque sapienter regat et dirigat?

Mystice, S. Chrysostomus et Polychronus in *Catena Graecorum*: Servus, inquit, est populus Gentium, qui per Christum fidem sapiens effectus, dominatus est Iudeis, ac hereditatem Ecclesiae cum eis ad Christum conversis divisit, imo eis divinatorum mysteriorum et charismatum dispensator evasit. Bada vero: « Servit, ait, quilibet peccator, delictis suis subditus olim, qui post conversionem vite suae sapiens effectus, aequae flagrantissimo amore et dilectione Dei fervens, filiis stultis, hoc est quibusdam fidelibus, a charitate Dei post acceptam, fidem tepescentibus, actu vel predicatione sua eis prelatus dominatur; aequae inter fratres perfectos scilicet sanctos, superbiae patriae hereditatem dividit. »

3. SICUT IGNE PROBATUR ARGENTUM, ET AURUM CAMINO: ITA CORDA PROBANTUR DOMINUS. — Hebraice, con-

flans (aurifex) vel conflatorium argento, et fornax auro, et probat corda Dominus; vel clarior, ut Paganinus, sicut conflatorium (probat) argentum, et Caminus aurum, sic corda probat Dominus; et Tigurinus, ut excoletur argentum, et fornax aurum, ita explorat corda Dominus; Septuaginta, sicut probatur in camino argentum et aurum, sic electa corda apud Dominum; Cassianus, *Collat.* VII, cap. xxxv, ita elegit corda Dominus; Syrus, sicut conflatorio probatur argentum, sic corda scrutatur Dominus. Ratio est, quia haec eorum scrutatio pertinet ad plenam Dei scientiam et providentiam, qui exinde vocatur Cardiognostes. Salomon comparat Deum aurifici; sicut enim aurifex solus arte sua in camino, sive foculo conflatorio, pro ignem probat aurum et argentum, sic Deus solus probat corda hominum. Sed quo foculo, qua fornace, quo camino conflatorio?

Nota: Probare per metalepsin multa significat, scilicet primo, scrutari; secundo, perspicere; tertio, discernere; quarto, purgare, et separare purum ab impuro; quinto, iudicare; sexto, eligere et premiare, vel probare et punire. Sicut enim aurifex auri puritatem, vel impuritatem et mixturem, igne camino sui dissilatorii scrutatur, perspicit et discernit, separando et purgando aurum a scoria, ac aurum eligendo, scorum reprobando et rejiciendo: sic prorsus corda hominum probat Deus.

Igitur primo et genuine, caminus et ignis quo Deus probat corda omnium hominum tam bonorum quam malorum, est acre examen mentis et intellectus divini, quo quasi igni efficacissimo probat, id est scrutatur, examinat, perspicit intima cordium, id est mentium cogitationes, volitiones, intellectiones, atque discernit cujuslibet qualitatem, pondus et pretium: quam scilicet quaelibet sit pura vel impura, quam magni vel parvi valoris et meriti. Sicut enim aurum magis est pretii apud aurificem, sic corda hominum magis aestimantur apud Deum, utpote qui ea praeter ceteris rebus creatis curet, probet, appendat, discernat, purget, iudicet, premiet vel puniat. Sic acre mentis divinae examen igni et camino aurificis comparat Malachias, cap. iii, vers. 2: « Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullo-ni; et sedebit conflans, et emundans argentum. » Haec gnomen ergo parallela est illi cap. xvi, vers. 2: « Omnes viae hominis patent oculis ejus; spiritum ponderat est Dominus. » Hoc enim idem est, q. d. Spiritum probat est Dominus; sed vero probat vel conficitur a fornace aurificis. Sic David recte factorum sibi conscius peti probari a Deo, ut ostendatur ejus conscientia: « Proba, ait, me, Domine, et tenta me, ure (hebraice, confila, instar argentarii) renes meos et cor meum, » *Psal.* xxv, 2; et *Job* xxiii, 10: « Ipse, ait, scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. »

Secundo, Deus probat corda hominum per suam legem et precepta, perque suos doctores et predicatores quasi per aminum ignis. Corda enim eorum, qui hisce poenitentibus et bene vivendo obediunt, sunt instar auri purgati; qui vero non obediunt, sed in suis manent viliorum fecibus, instar scoriarum a Deo abijciuntur et reprobandur. Hoc est quod ait Deus Jerem. vi, 27: « Probatores dedi te in populo meo robustum; et scies, et probabis viam eorum, etc. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator; malitia eorum non sunt consumptae. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. » Sic Deus probavit cor et obedientiam Aëe, jubens ut non comederet pomum scientie boni et mali; et Abrahami, jubens ut immolaret sibi filium Isaac, Gen. xii. Sicut enim vi plumbi igne liquati secerantur aurum a fece et scoria, sic vi precepti secerantur obediens ab inobediente.

Tertio, caminus quo Deus probat corda hominum, est tribulatio: hae enim boni per patientiam purgantur et accepti fiunt Deo, mali vero per impatientiam sordescunt et displicent Deo. Hoc est quod dicitur Sep. iii, 6: « Tanquam aurum in fornace probavit illos. » Et Eccl. ii, 5: « In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles (accepti, grati Deo) in camino humiliorum. » Ubi multa de hoc camino dixi. Et Malach. iii, 3: « Purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. » Unde Septuaginta hoc loco vertunt, sic electa corda apud Dominum, vel, ut clare legit Auctor *Catenae Graecae*: « Sicut argentum et aurum probatur in fornace, ita Dominus electorum corda explorat tribulationis igne, » q. d. Sicut aurifex in camino seligit aurum, et rejicit scoriam vi ignis liquatam et separatam ab auro: sic Deus eligit corda Sanctorum, quem in igne tribulationis solida et constantia persisterant: impiorum vero, qui in ea instar scoriarum liquati defecerunt, respuit. Ita de tribulatione pulchre hanc gnomen explicat Cassianus, *Collat. VII, cap. xxv*: « Ceterum, ait, corporaliter traditis Satanae, vel infirmitatibus magnis etiam viros sanctos novimus pro levissimis quibusque deficiis, cum in illis ne tenuissimum quidem nevirum aut maculam, in illo iudicii die patitur invenire divina clementia, omnem cordis eorum scoriam, secundum Prophetam, imo Dei sententiam, excoquens in presenti, ut eos tanquam aurum vel argentum ignitum, ad illam perpetuam nulla indigentes ponali purgatione transmittat: Et excoquam, inquit, ad purum scoriam tuam, et auferam omne stammum tuum; post hae vocaberis civitas iusti, urbs fidelis, *Isaie i*. Et iterum: Sicut probatur argentum et aurum in camino, ita eligit corda Dominus. »

Quarto, caminus quo Deus probat corda est tentatio, juxta illud *Psal. xvi*: « Probasti cor meum

igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » Sic per haereses et hereticos probat fidem orthodoxorum, juxta illud *Deut. xii, 1*: « Si surrexerit in medio tui Prophetes, etc., et dixerit tibi: Eamus et sequamur deos alienos; non audies verba Prophetarum illius: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis Deum, an non, et toto corde, » etc.

Quinto, caminus, quo Deus omnium corda probat, id est examinat, dijudicat, eligit et praemiatur, vel reprobat et punit, est acre iudicium, tum particulare, tum universale, quo Christus iudex scrutabitur omnium conscientias, ac sanctas adjudicabit caelo, sceleratas gehenna. Sic *Daniel. vi, 9*, describens iudicium Dei: « Thronus ejus, ait, flammæ ignis; rotæ ejus ignis accensio. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. » Hinc multi veterum, ut Origenes, S. Basilius, Lactantius, S. Ambrosius et Rupertus opinati sunt ignem verum a Deo positum esse ante coelum, ut per illum omnes animæ sanctae in coelum itare transire cogantur, eoque probentur, et, si impurae sint, purgentur, ut dixi *I Corinth. iii, 12*.

4. MALUS OBEKIT LINGUE INIQUE, ET FALLAX OBTEMPERAT LABIIS MENDACIIBUS. — Hebraice, *auscultat ad linguam pravitatis*. Nam *מין מעין* ponitur pro *מין maasia*, ait *Aben-Ezra*. Septuaginta, *malus morem gerit lingue iniquæ, iniquus itidem labiis mendacibus attendit*. Ita Auctor *Catenae Graecae*. Sed Romani et S. Cyprianus, lib. I. *epist. 3*, contrarie legunt posteriorem partem hoc modo, *justus autem non intendit labiis mendacibus*; Syrus, *justus non audit linguam scelestorum*. Sed prior lectio consonat Hebraeo, qui pro *fallax* habet *קקר seker*, id est mendacium, fallacia; unde Chaldaeus vertit, *falsitas et accusatio in lingua perversa*. Verum Noster, Pagninus et alii accipiunt abstractum pro concreto: « Mendacium, » id est mendax et fallax, qui scilicet assidue fallit et mentitur, qui mendaciis et fraudibus pascitur, usque se oblectat et opplet. Unde Vatablus vertit, *mendax obsequitur perniciosam linguam*. Sententia est clara, q. d. Malus obedit lingue mala et iniqua proferenti, vel consulenti, quia hae suo genio et ingenio, puta suae malitiae, conveniunt. Similiter mendax et fallax auscultat et obtemperat mendacia et fraudes suggerenti, quia mendax est, et mendaciis pascitur. Significat linguam superbam et fallacem captare animos sibi similes perversos et fallaces: illis enim facile sua persuadet; cum ex adverso fideles et veraces, qui student veritati, mendaces et fallaces cum suis mendaciis et fraudibus abominentur. Ita S. Cyprianus, lib. IV. *epist. 9 ad Florent.*: « Incidisti, ait, sed tua crudelitate in religiosa; incidisti, sed tua mente et voluntate sacrilega, dum incesta, dum impia, dum nefanda contra fratrem, contra sacerdotem quasi propria et privata defendis; nec recordaris scripturam esse: Malus obaudit lingue iniquorum,

justus autem non intendit labiis mendacibus. »

Ad hanc sententiam pertinet id quod dicit S. Gregorius Nazianzenus, orat. 14 *De pace*: « Comœdia, ait, est hostibus mea tragedia, » q. d. Adversos meos casus illa grate et jucunde accipiunt hostes mei, quasi inimicam, amœnam et jucundam histrionis comœdiam spectent. Sic B. Antiochus, *hom. 26*, verba detractorum comparat cum manna, quod sicut manna cuique sapiebat id quod appelebat, sic et detractio audientibus sapiat pro cuiusque affectu, bene scilicet, si male sit affectus ei cui detrahatur; male autem, si eadem sit addictus et benevolus.

Docet hæc sententia valde custodiendas esse aures. Quare justus, ut iustitiam servet, et iniquus non fiat, aures custodiat, ne audiat ea, quorum auditione ad obedientiam iniquitatis se preparat. Merito igitur S. Bernardus, ut ad aurium custodiam nos incitet, ait: « Facile lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi, ita ut multis inter loquendum minus profuerit, quod propriam cohibuerit, tum non caverit alienam. Utiles est frater, qui dabi loquitur, sapiens est Religiosus, ac timens Deum; plus dico: angelus est, et angelus lucis; etiam si cave tibi, ne audias unde lædaris. Nec personam tibi velim suspectam esse, sed linguam, praesertim in sermone natione communi. » Hæc S. Bernardus, *serm. De triplici custodia, manus, lingua et cordis*.

Secundo, noster Salazar hanc gnomen explicat quasi intentantem poenam iniqui et fallacibus: Ostendit Salomon, ait, qua ratione Deus in malos atque fallaces animas vertere solet. Nam quo pari referat si statuit, ut malus, qui in alios injurios est, male lingue subdat, et fallax item qui aliis imposturam facit, fallaci adjucectur lingue, ut ab illa decipiatur. Id sibi voluit illa verba, *obedit, obtemperat*, id est subditur, vel subijcitur; et eadem ratio est de verbis *audit et auscultat*. Unde S. Basilius, *homil. De ira*, verba contumeliosa et fallacia comparat cum echo, quæ sonum acceptum repercutit et reverberat in auctorem: « Non enim, ait, sic echo in ipsos clamantes impetive infringitur, sicut in hominem injustum et contumeliosum contumelia revertitur. »

Huius sententia Septuaginta aliam subnectunt, quæ non est in Hebræo, Chaldaeo, Syro et Latino; estque hæc: « Eius qui fidelis est, totus mundus divitiarum est; illius autem qui infidelis est, neque obolus; » repetit et supple, « est totus mundus, » q. d. Infidelis totus mundus non valet obolus; infidelis pauper est, nec habet obolum, esto totum mundum possideret. Pro mundus graece est *κοινος*, quod Complutenses vertunt, *armatus*. Unde Auctor *Catenae Graecae*, sic vertit; *homo fidelis quidam in pecuniis ornamenti est, id totum possidet*; per hoc autem ne obolus quidem suppetit. Hanc gnomen explicat Cassianus, *Collat. XIV, cap. xxvi*, « centuplo, omnia propter Deum relinquuntibus

promisso: » Pro Istitia quoque illa, quam in unius agri ac domus possessione quis habuit, centuplo majore divitiarum gaudio perfructur, qui in adjectionem transiens florum Dei universa quæ æterni sunt Patris, ut propria, per se debuit, et affectu atque virtute ad imitationem, vel illius filii proclamabit: Omnia que habet Pater, mea sunt, *Joan. xv*. Hæc jam cum illa penali distinctionis ac sollicitudinis cura, sed securus ac lætus felut in propriis ubique succedet, audiens quælibet sibi met ab Apostolo predicari: Omnia enim vestra sunt, sive mundus, sive presentia, sive futura, *I Cor. iii*. Et a Salomone: Fidelis viri totus mundus divitiarum. » Sic et Didymus in *Catenae Graecor. S. Augustinus* vero, *epist. 54 ad Macedoniam*, sub finem, hanc gnomen citans, posteriorum ejus partem applicat usurariis. Addeque: « Pecunia a malis male habetur, et a bonis tanto melius habetur, quanto minus amatur. » Locus hic S. Augustini translatus est in *Quis Canon*, et habetur *14, Quest. IV, cap. Quid dicam*, quod est penultimum. Idem S. Augustinus, *lib. V Confess.* cap. iv. Deum alloquitur: « Infelix homo, ait, qui scit illa omnia, te autem nescit; beatus autem qui te scit, etiam illa nesciat, etc. Sic fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum est, et quasi nihil habens omnia possidet, in haerendo tibi qui serviant omnia, quamvis nec saltem Septentrionum gyros noverit, dubitare stultum est quin utique melior sit quam mensuræ celi et numerator siderum, et pensor elementorum, et negligens tui, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. »

S. Hieronymus autem, *epist. 403 ad Paulinum*, exhortans eum ad contemptum opum et mundi, sub finem sic ait: « Antiquum dictum est: Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est; infidelis etiam obolo indiget. Sic vivamus tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Victus et vestitus divitiis Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende; si non habes, projice. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit; facile contemnit omnia, qui semper cogitat se esse moriturum. » Porro credens sive fidelis est, qui omnem suam fidem et spem collocavit in Deo, credens et sperans quod Deus omnibus suis necessitatibus ab eo providebit. Rursus fidelis est, qui fideliter Deo servit, ejusque jussis obedit, ac praesertim qui fideliter operi sibi a Deo datas, non auperose erogat, juxta legem et voluntatem Dei. Denique S. Ambrosius, *lib. V, epist. 25 ad Ecclesiam Verceilensem*, longiuscule ante finem: « Ille, ait, est dives in Ecclesia, qui pauperi, non sibi, dives est. In Ecclesia quidem fidelis dives est. Fideli enim totus mundus divitiarum est. Quid mirum si mundum fidelis possidet, qui possidet Christi hereditatem, que pretiosior est mundo? » Et inferius: « Ille ergo dives est, qui fuerit heres Dei, Christi coheres, etc. Nulli divites esse? Estote

Tunc eritis per omnia divites, si fueritis pauperes spiritu. Non census divitem, sed animus facit. Pauper enim spiritus dicit; Portio mea Dominus, etc., *Psal. cxvii*. Exemplum clat S. Malachiam S. Bernardus in ejus Vita, utpote qui re pauper, sed spe in Deum dives amplè sedificabat monasteria. Audi S. Bernardum: « Invenit Dei famulus in Dei marsupio, quod defuit suo. Merito quidem. Quid enim iustus, quam ut cui pro Deo non erat proprium, cum Deo iniret consortium, et marsupium unum esset amborum? Fidelis denique homini totus mundus divitiarum est. Et quid est ille, nisi quoddam marsupium Dei? Denique ait: Meus est orbis terræ, et plenitudo ejus. Inde est quod Malachias re-pertos argenteos multos non reposuit, sed exposuit. Nam totum munus Dei in Dei opus jubet expendi. Non suas, non suorum considerat necessitates, sed facta cogitatum suum in Domino, ad quem utique recurrendum non dabitur, quoties necessitas postularit. » Interpres S. Ephrem, tract. *De timore Dei*, clare vertit: « Fidelis viri (sunt) omnes mundi divitiæ; at infidelis viri ne obolus quidem. »

Igitur fideli totus mundus divitiarum est. *Primo*, quia totus mundus creatus est a Deo ad usum fidelium, non infidelium; fideli ergo omnia de-entur, infideli nihil. *Secundo*, quia fidelis utitur toto mundo non ad luxuriam, sed ad necessitatem et ad Deo obsequium. Fidelis ergo omnia fideliter servituri, infideli nihil: sol enim fideli ministrat et servit, dum ei facem præferat ad Deo servandum: ignis, dum eum calefacit: aqua, dum eum refrigerat: aer, dum per eum respirat: terra, dum eum sustentat: cibus, dum eum pascit: vestis, dum eum tegit; et ita de cæteris. Denique fidelis, sua sorte licet tenui contentus, ita tranquillus, letus et alacer vivit ac si totum mundum possideret: e contra infidelis et avarus quo plus habet, eo plus desiderat. *Tertio*, Didymus in *Catena Græc.*: Omnia possidet, inquit, qui propter Christum omnia aspernatur; fidelis enim celsior est mundo, ac mente in celo fixus omnia terrena velut sub pedibus posita premit et calcat. Vide S. Chrysostomum, *hom. 42* in epist. *II ad Corinth.* *Quarto*, quia fidelis in singulis rebus creatis agnoscit, amat, gratias agit, et laudat Creatorem a quo et ad cuius honorem condite sunt. Hæc autem Dei cognitio, amor, cultus et laus sunt vere opes mundi. Ita Didymus in *Catena Græcorum*. *Quinto*, quia fidelis toto mundo recte sancteque utitur ad suam salutem et Dei gloriam; infidelis vero et impius eo abutitur ad suas concupiscentias. Dives autem est, qui opibus uti scit; pauper, qui nescit. *Sexto*, quia fidelis possidet Deum, cuius est totus mundus; possidendo ergo Deum possidet omnia quæ Dei sunt, puta omnia quæ sunt in mundo. *Septimo*, quia fideli a Deo paratur beatitudo, et gloria cælestis; hæc autem inter alias dotes continet dominium mundi. Beatus enim quilibet est dominus et rex mundi, imo

Adam in paradiso fuit velut rex mundi. Hoc est quod ait Sapiens, cap. *III*, vers. 7: « Fulgebunt iusti et tanquam scintille in arundine discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis. »

Quocirca S. Ambrosius, lib. *II de Abraham*, cap. *vii*, exemplum hujus sententiæ statuit Abraham, cui Deus promisit dominium totius Chanaanæ. Ubi inter cætera docet Platonem et Stoicos ex hac gnome Salomonis accepisse suum illud axioma: *Sapientis sunt omnia*. « Quanto, ait, prior Salomon quam Zeno Stoicorum magister, atque auctor sectæ ipsius? quanto prior quam ipse philosophiæ pater Plato? quis autem sapiens nisi fidelis? Sed forte dicas: Quomodo sapiens totus mundus est divitiarum? Respondeo: Quoniam ipsa natura dat illi sortem omnium, etiamsi ipse nihil possideat. » Addit vero sortem istam, quæ omnia ditione sua complectitur, ipsissimam esse sapientiam; sic enim ait: « Dominus est et possessor omnium sapientia, quæ sua putat naturæ munera, quoniam in usum hominum data sunt, nec ullis indiget, etiamsi desint et ad victum omnia. Nam si musicus organa, et medicus medicamenta necessaria, et naucleus quæ ad navis instrumentum necessaria sunt, aliquando non habeat, habet tamen eo ipso, quo possit his uti, etiamsi ad tempus usus eorum non suppetat; quanto magis sapiens suum judicat quiddam naturæ est, qui vivit secundum naturam? » Igitur docet hic S. Ambrosius sapientes, id est Sanctos, esto usum rerum omniumque mundi sepe non habeant, habere tamen dominium eorum quoddam quasi proprium et naturale ex institutione Dei, cum impij qui eorum usum habent, habeant dominium tantum civile, et, ut ita dicam, impro-prium, quia præter naturam et institutionem Dei id sibi vindicant. Et paulo ante: « Hinc tanquam ex fonte hauserunt Stoici philosophi illius dogmatis sententiam, omnia sapientis esse. Oriens enim et Occidens, Septentrio et Meridies portiones sunt universitatis; his enim totus mundus incliditur: hæc, eum promisit Deus se futurum Abraham, quid aliud declarat nisi sapientem a-fideli præsto omnia, desse nihil? Unde et Salomon in Proverbiis ait: Eius, qui fidelis est, totus mundus. » Et post nonnulla subnectit: « Denique Abraham, quando adhererebat ei Lot (hoc est de-flexio morum), sortem tantam et tam amplam non acceperat. Ubi vero deflexionis arbiguo alique anfractu absoluto reclus virtutum, emittas animæ suæ gressibus cepit carpere, in omnem terram possessor mittitur. » At rursus: « Ergo qui sapien-tiam meruerit, et non fuerit ancille filius, non peccati servus, sed Sarcæ illius minime servientis, sed principantis, filius bonæ stirpis, bonæ indo-lis, perfectæ titulo virtutis, hæreditatem acquirat totius universitatis, » etc.

5. QUI DESPICIT PAUPEREM, EXPROBRAT FACTORI EJUS: ET QUI RUINA LETATUR ALTERIUS, NON ERIT

IMPUNITUS. — Hebræico, qui subsannat pauperem (Vatablus, qui illudit pauperi), probro afficit factorem ejus; qui letatur in contributione, non erit innocens, id est impunitus; Chaldeus, qui spernit pauperem, provocat in eum Creatoris; et qui gaudet in in-teritu alterius, non erit innocens; Syrus, qui videt pauperem, iram cæli ejus Conditori; qui in ruinam alterius gaudet, non reportabit misericordiam; Septuaginta, qui irridet inopem, irridat (Aquila, Symmachus et Theodolion, exprobrat) eum qui fecit illum; qui autem letatur perente, non erit innocens; ille autem ejus viscera commoveatur, misericordiam conce-piat. Quam ultimam partem Septuaginta ad-dunt de suo, quia per antithesin tacite continetur in hemistichio præcedente. Auctor *Catena Græcorum* legit, qui deridet pauperem, irridat Deum, qui fecit illum; at qui afflictio letus insultat, non erit impunitus. Causamque subdit: Quia deridet sapientem Dei gubernationem, quæ fecit hunc pauperem et afflictum, ut in illi condoleret, in il-lumque misericordiam exerceat. Quis ergo ita immanis, omnisque humanitatis ita oblitus fuerit, ut eum ludibrio habeat qui compati omni jure debebat? hæc auctor ille.

Prior pars hujus sententiæ exposita est cap. *xiv*, vers. 31. Posterior clara est, ejusque ratio est lex talionis; qui enim in ruina alterius letatur, me-retur parem, ut in eandem vel similem incidat, ut pariter alii de ejus clade letentur eique insultent, sicut ipse in aliorum ruina letatus est, eis-que insultavit. Exemplum est in Semei, qui Davidi Absalomum fugienti et profugo exprobravit et maledixit, ideoque a Salomone probrose occisus est, *III Reg. II, 44*. Unde B. Antiochus, *hom. 38*, legens: « Et qui insultat patienti, non erit innocens, » sic ait: « Ne igitur, dilectissimi, commit-tamus ut aliquando insultemus proximorum malis, ne nos in eandem sinat Dei providentia semel et iterum devolvi calamitates. » Ac deinde alia ratione idipsum confirmat: « Etenim si pes, ait, forte illis, aut labatur, num insultabit manus? sane ros hæc in diversum abit; nam olei infusione aut emplastro pedi medetur. Si quidem unum corpus sumus, nihil minus consentaneum rationi sit, quam unum aliquod corporis mem-brum, quod nonnulli afflicteret habere derisus, ac proinde eidem insultare. Potius enim conveni-entia miseræ afflictio, et pio compassionis af-fectu condolerere et congemiscere. »

6. CORONA SENEB, FILII FILIORUM: ET GLORIA FILIORUM, PATRES DOMUM. — Septuaginta pro gloria vertunt *καὶ δόξα*, id est gloriatio, q. d. Gloriantur filii quod sapientes et probos habuerint patres, sicut vicissim gloriantur patres, quod filios post se probos et virtutis suæ heredes relinquunt. Unde Tugurina vertit, decus liberorum sunt patres ipsorum; Vatablus, nepotes sunt ornamenta senibus. Pro corona Syrus vertit, laus; Chaldeus, pulchritudo; R. Salomon et Aben-Ezra exponunt, q. d. Avorum et senum diadema sunt nepotes, quos

recto virtutis tramiti insistentes aspiciunt: da-rentes probi vicissim probis filiis gloriam con-ciliant. Addit R. Levi potius avos coronari nepo-tibus quam patres filii, quia avi brevi morituri magis amant suam similitudinem, quæ in nepo-tibus perdurat; patrum vero amor non ita red-undat in avos, sed gloria filiorum sunt ipsimet parentes. Monet ergo hæc gnome parentes ut stu-diose curent educari filios et nepotes; ac vicissim hos monet ut parentes et avos debito prosequan-tur honore. In laudem enim senum insignem ce-dit, quod filios et nepotes ita educavit, ut ab iis constanter et honestatur. Unde S. Ambrosius, in cap. *I S. Lucae*: « Divinum, ait, munus fecit-ditas est parentis. Agant itaque patres gratias, quia generaverunt filii, quia generati sunt; ma-tres, quia conjugii præmiis honorantur: stipen-dia enim militiæ suæ filii sunt. » Porro « corona » datur parenti; filii vero « gloria », quia parentes sunt quasi principes filiorum, et quasi reges fa-miliarum suarum. Unde Aristoteles, lib. *VIII Ethicæ*, cap. *x*: « Societas, ait, patris ad filios regni præ-se fert effigiem; namque patri suus cura, sine et Homerus Jovem patrem appellat. » Et cap. *xi*, docet jus paternum in filios esse regium. « Senum ergo corona, » hoc est ornamentum, est, quod non tantum filios, sed et filios filiorum ha-beant, per quos securiores fiunt de posteritate, per quam immortales quodam modo sunt futuri, qui jam mortem vicinam agnoscunt, de qua im-mortalitate posteritatis nonnulli dubitant senes, cum filiosque absterge liberis videt. Unde Judæorum benedictio erat videre filios filiorum, iuxta illud *Psal. cxviii*: « Videas filios filiorum tuorum, pa-cem super Israel. » Vicissim patres sunt gloria et decus filiorum, quia eorum virtus et nobilitas or-nat filios, et honorem conciliat. Accedit quod mores et actiones filiorum tribuntur parentibus, utpote eorum generatoribus, educatoribus et ma-gistris. Quare, sicut pravi mores filiorum redun-dant in dedecus parentum, ita vice versa, eorum virtutes ad parentes, quasi primos ipsorum au-ctores referuntur.

Secundo, hæc gnome significat Salomon præ-mium, et quasi coronam bene actæ sancteque vite parentum, esse senium, si videlicet ad tan-tam ætatem perveniant, ut videant filios filio-rum, id est nepotes, in tertiam et quartam gene-rationem se instar coronæ circumdantes; unde vicissim præmium filiorum et nepotum honorum esse, si patres et avos din habeant superstites. « Gloria ergo filiorum patris eorum, » hoc est, hoc præmium, hanc gloriam solet Deus retribuere filiis probis et morigeris, quod videant patres diu superstites, quod summe fortunatum censet Plato, lib. *III De Legibus*. Hæc enim signum est reverentia in filios benigne et commode haberi; reverentia enim filiorum, qua parentes fovent, colunt, alunt, parentibus letitiam indeque longævitalatem conciliat. Vice versa durities et impie-

tas filiorum, qui patres spernunt, deserunt, dureque tractant, eis meritum citamque mortem affert. Hoc autem ingens est filiorum dedecus et probrum, sicut prius ingens est eorum decus et gloria. Quare tacite hoc monet patres Salomon ut filios bene educant; ac vicissim filios, ut ipsi bene educati talionem reddant parentibus, eosque senescentes colant et alant; sic enim utriusque aedecet dignitas, honor et gloria instar coronae.

Tertio, Salomon dat stimulum parentibus, aequae ac filiis ad omnem probitatem, eo quod probitatis decus et honos utrorumque non sistat in ipsis, sed ad alterutros promanet (1). Probus ergo esto, o pater, non tibi soli, sed et filiis, quia probitatis tuae decus non in te sistit, nec te tantum, sed et filios tuos honoratos efficit. Vicissim probi estote, o filii, quia probitatis vestrae fama non ad vos solos, sed et ad parentes pertinet: quos, si secus feceritis, insigni infamia afflabitis. Fama enim et infamia parentum est fama vel infamia filiorum, et vice versa; pater enim et filius civititer unum quid censentur, et quasi una persona oeconomica.

Allegorice Beda: « Senes, ait, dicit Patriarchas et Prophetas, qui a filiis filiorum, hoc est, a successoribus Apostolorum digna laude celebrantur; et gloria est praedicatorum novi Testamenti, quod filii veterum patrum esse meruerunt. »

Tropologice, per parentes accipit Praelatos, Pastores, Doctores, Praedicatores; per filios, plebeios, discipulos, etc. Ita Auctor *Catena Græcorum*: « Senem, ait, hoc est doctorum sapientumque virorum, corona et ornamentum sunt auditores dicto obsequentes, othodoxæque Ecclesiae alumni. » Sic S. Paulus Philippenses a se conversos, cap. iv, 1; et Thessalonicenses, *epist.* I, cap. ii, vers. 19, vocat suum gaudium, suam coronam, suam gloriam. Vide ibi dicta.

7. NON DECENT STULTUM VERBA COMPOSITA, NEC PRINCIPUM LABIUM MENTIENS. — Pro *stultum* hebraice est *נבאל* *nabal*, quo nomine appellatus fuit maritus Abigail, stultus simul et avarus. Unde Hebraei nonnulli apud Baynam verunt, *avarus non comedit labium excessivum, nec liberali labium mentiens, g. d.* Avarus, quia sordidus, in dando non excedit, sed pauca promittit et donat; at liberalis, ut liberalis est in promittendo, sic et non mentitur, sed fideliter et liberaliter praestat ea quae promissit. Pro *composita* hebraice est *רתי* *ether*, quod significat excellentiam, dignitatem, residuum, superfluum, superabundantiam, expansionem, extensionem, qualis est in chorda et fune. Unde *ether* chordam quodammodo et funem significat. Hinc Noster verit, *composita*, scilicet apte complicata et contorta instar funis vel chordae, quae in cithara apte composita compositum et modulatum edit

(1) In hanc sententiam elegans Marit ad Quirites dicitur: « Majorum gloria posteris lumen est. »

concentum. Unde *primo*, R. Salomon verit, *nec decet stultum verba gloriosa et superba, quanto minus principem labium mendacii; secundo*, Chaldaeus, *non decet insipientem labium excessivum, neque principem labium mendacii; tertio*, Pagninus, *non est decora stulto lingua excellentis; Tigrinus, magnificus sermo; alii, sermo dignitatis vel auctoritatis; quarto*, Cajetanus, *non decet stultum labium superfluitatis; quinto*, Septuaginta, *non congruit stulto labia fidelia, neque justo labia mendacia.* S^o et Syrus. Jam

Primo, noster Salazar sic explicat, *g. d.* « Stultum, » id est hominem vilem et abjectum, non decet « verba composita, » id est ficta et fallacia, imo haec illi probro et contumeliae verbi solent, quanto magis eadem non decet principem, *g. d.* Si probro vertitur homini vili mentiri et fallere, quanto magis idipsum probrosum erit principi? *Componere* enim subinde idem est quod fingere, ut *Daniel*, cap. ii: « Quod interpretationem fallacem et deceptione plenam composuerunt; » inde « composita verba » vocantur ficta et fraudulenta. Verum Hebraeus *ether* non significat ficta vel fallacia.

Secundo, R. Salomon, Cajetanus et alii explicant, *g. d.* Non decet stultum verba excellentia, superfluitatis vel superabundantiae, hoc est iactantiae, quod scilicet sibi plus arroget quam par est, ac videatur sibi praeter alios sapere, velitque praeter omnibus audiri, probari et laudari. Vice versa, non decet principem verba mendacii, quia haec illo indigna sunt, cumque vilem ac scurrilis similem efficiant. Igitur, sicut non decet quod vili et stultus se iactet et exaltet per verba tumida et superba: sic vice versa, non decet principem, qui summus est, ut per verba vilia et vana, praesertim mendacia, se in vulgus, imo infra vulgus, deprimat et abiciat.

Tertio, optime Noster verit « verba composita: » haec enim sunt verba dignitatis et excellentiae, *g. d.* Stultum non decet sermones graves, compositi, magnifici, cum animum habeat levem, incompositum, abjectum et fatuum (2); ita vicissim principem non decet verba incomposita, praesertim mendacia. Sicut enim cor principis debet esse verax, fidele, grave, moderatum, prudens, compositum: sic pariter decet ut verba eius sint veracita, fidelia, graviora, moderata, prudentia et concinna. « Verba » enim « composita » sunt, quae habent dignitatem, auctoritatem et pondus, quae proinde non a stulto, sed a sapiente vel doctore vel principe proferri par est. Unde cap. xxvi, vers. 7, dicitur: « Quomodo pulchras habet frustra claudus tibias, sic perversus est in ore stultorum parabola. » Et cap. xxv, 11: « Mais aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. » Hinc Lyranus per « verba composita » intelligit legationem, ut sit metalepsis, *g. d.* Non est decens ut stulto imponatur aliqua legatio ad viros graves vel principes, in qua oportet habere verba composita. Hinc expositioni affinis est versio Septuaginta et Syri, *non congruit stulto labia fidelia, neque justo labia mendacia.* Nam, ut ait Polychronus in *Catena Græc.*: « Ubi quae cogitationibus suis dissentanea loquitur. » Ubi clara est antithesis, *g. d.* Sicut stulti, id est impii, solent in verbis esse infidi, multaque mentiri et fallere: sic vicissim iusti abominantur mendacia, studentque in verbis esse veraces et fideles: illi enim cum improbitate perdidit conscientiam et famam, hi cum probitate utramque firmiter tuentur et servant.

Porro mendacium probrum est omni homini, sed maxime principi. *Primo*, quia maiestatem principis decet veritas, fidelitas et veracitas; maiestatem ergo suam ac seipsum laedit, si mentitur. Nam, ut sapienter ait S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 3: « Hec est vera dementia non cogitare, nec scire quod mendacia non diu fallunt; noctem tantum esse, quam diu illucescat dies; clarificato autem die, et sole orto, luci tenebras et caliginem cedere, et sole grassabantur per noctem latrocinia, cessare. »

Secundo, quia populus et respublica nititur et regitur verbo principis: quod si illud mendax et fallax deprehendat, omnem ei fidem et fiduciam, aequae ac auctoritatem et obedientiam derogabit. *Tertio*, quia princeps quod semel dixit, sanxit, promissit, dedit, hoc honeste et justo retractare nequit: imo, si mentitur et fallat, saepe injuriam et damnum grave subditis irrogabit. Hinc Graecorum Imperatores in inauguratione solemniter jurabant se, remota fallacia, dicturos veritatem, uti testatur Cuiusdam, *De Offic. palat.* Debet enim princeps veritatis non tantum esse assecla, sed et tutor ac patronus. Recte Aspar Leonem Imperatorem quod promissis non stetit, veste prehensum objurgavit, dicens quod nefas esset purpura amictum mentiri. Ita Zonaras, tomo III.

Quarto, quia « mendacium vitium est servorum, » ait Aristoteles. Ergo dedecet ingeniosum, praesertim principem, qui sunt vicarii Dei, ac Deum, qui est prima veritas ipsaque fidelitas, in terra representant. Quocirca S. Thomas, opuscul. *De Principum eruditione*, multis probat principem amandam esse veritatem, itemque abominandum mendacium ut venenum. Idem censuere Philosophi. Thucydides, lib. IV: « Iis, ait, qui in dignitate sunt, turpius fraude honesta circumvenire aut laedere, quam vi aperta. » Et Silius, lib. XIV:

Optimus ille
Militis, cui postremum est primumque fueri
Inter bella fidem.

idem, lib. II:

Nec rumpe federa pacis,
Duo regis postere fidem.

Hinc Agesilaus rex Sparta adeo horrebatur mendacium, ut rogatus audire quemdam qui philemelie melodiam mentiebatur, noluerit, ne mendacia etiam cantioni assentire videretur.

Impia ergo est illa politiorum vox apud Euripidem: « Jus, regnandi gratia, violandum est, aliis rebus pietatem colas. » Sicut enim fides stabiliti republicam, ita perfidia evertit. Rursus S. tollis fidem inter homines, tollis et fidem ac religionem in Deum, faciesque atheos.

Aristoteles, *Rhetor. ad Alexandrum*, cap. xvii, monet principes « non pejorare, timentes et divitiarum ultionem et humanam infamiam. » Cicero, lib. III *Offic.*: « Nec ulla res, ait, vehementius rempublicam continet quam fides. » Idem, orat. *pro Roscio Com.* « Perfidiosum et nefarium est fidem frangere, quae continet vitam. » Nam, ut ait Aristoteles, *Rhet. ad Theodectum*, lib. I, cap. xv: « Infirmatis violatisque pactis tollitur inter homines commerciorum usus. » Quocirca Romani in Capitolio vicinam Jovi aram fidei posuere, ait Cato Censorius. « Fides enim, inquit Seneca *epist.* 89, sanctissimum humani pectoris bonum est. » Divinus vero Silius *ad Fidem*, cum haec elegit celebrat:

Ante Jovem generata, deus divumque hominumque,
Qua sine non tunc pacem, non aquora narrant:
Justitia consors, taciturnae in pectore noxae.

Denique Alfonso Aragoniae rex, teste Panormitano lib. I *De Gestis* ejus, probabat illum principem, « cuius simplex verbum tantum ad fidem valeret, quantum privatorum hominum jusjurandum. » Idem dicitur ab eo, « tanto privatis hominibus reges meliores esse debere, quanto honoribus et dignitate antecollerent. »

8. GENNA GRATISSIMA, EXPECTATIO PRESTOLANTIS: QUOCUMQUE SE VERIT, PRUDENTER INTELLIGIT. — Pro *expectatio prestolantis* hebraice est *שכח* *schochad*, id est munus sive donum. Ergo Hebraea sic habent, *lapis gratia munus in oculis heri ejus* (habentis illud); *ad omne quod respexerit, praevidetur agit*; Chaldaeus, *lapis muneris gratia est in oculis ejus; qui tollit eum ad omnem locum quo se verit, praevidetur agit*; Symmachus, *pondus gratiarum*; Septuaginta, *merces gratiarum, inquit, disciplina his qui student; quocumque se verit, prosperabitur*. Hebraeus enim *שכח* *sachal* significat *primo, intelligere; secundo, prosperari; tertio, accipiendo* pro *ד* (quia haec duae litterae ejusdem soni sunt et potestatis), *infatuari*. Unde aliqui verunt, *lapis gratia munus in oculis habentis* (accipientis) *illud; quocumque se verit, infatuabitur*. Munera enim excecant et infatuant accipientes, juxta illud: « Munera excecant oculos sapientum, et mutant verba justorum, » *Deut.* xvi, 19. Vatablus, *grata gemma est munus in oculis eorum qui in eum possident; quocumque se verit, prosperabitur*, id est, in quocumque voluit partem, corda iudicum vertet et inclinat ad munus illud. Sic et Pagninus, Baynus et alii.

Igitur ex Hebræo clarus est sensus, *g. d.* Munus vel donum est instar gemmæ gratiosæ, quæ rapit ad se oculos et corda accipientium, eoque fleat, quod dator muneri vult, ut litem vel causam etiam parum equam oblineat, juxta illud :

Munera, crede mihi, placent hominesque deosque.

Unde R. Levi : « Munera, ait, velut gemmæ gratiosissimæ accepta sunt his quibus donantur, perinde ac si essent lapilli pretiosi ei qui illis exornatus est, gratiam conciliantes. Quare cuiuscumque rei se liberalis adjungat, felicissime illi succedit. » Aben-Ezra vero per herum vel dominum accipiens non accipientem, sed tantam munera :

« Sicut lapis pretiosus, ait, eorum animos rapit, a quibus conceptus fuerit, ita munera dominis suis, a quibus nimirum missa fuerint, gratiam conciliant : cum enim munus excipere nefas sit, qui illud accipit, muneri dominus dici nequit. » Pressius Cajetanus : Munus, inquit, iudici vel principi donatum eisdem gratiam conciliat, atque idipsum intelligere et sentire eum cogit, quod intelligit et sentit is qui donavit, sive iustum illud sit, sive iniustum. Atque sic explicari potest versio Vulgata, ut « expectatio prestolantis a vocetur munus, quod accepturus expectat et prestolatur. Unde Baynus : « Pendet, ait, hæc gnome ex precedenti : Non decet principem labium mendax; sed nimiam gratiam conciliat, prestare beneficia quæ pollicetur, imo munera omnibus favorem et gratiam pariunt. Nam gemma vel lapis pretiosus est gratis omnibus spectantibus, sic est munus in oculis prestolantis, sive (ut est in Hebræo) domini sui, hoc est, illius qui recipit illud. Et quocumque se verterit, sive ad quemcumque locum respexerit ille qui munera largitur, prospere agat, et quod molitur, essequetur. »

Noster Salazar ingeniose per gemmam gratiosissimam accipit gemmas pellucidas, per quas intriunt omnia occurrentia iunctura spectat. Sic D. Isidorus, lib. XVI *Etymol.* cap. 77, tradit Neronem gladiatorum pugnas, interposito virenti smaragdo, spectare solitum : ex quo fiebat ut cuncta eodem colore imbuta ejus oculis sese offerrent, et iuncturam spectaculorum redderetur. Ait ergo Salomon : Lapis gratia munus oculis domini ejus, *g. d.* Donum iudici aut principii collatum, adinstar est lapidis pretiosi, pulchri, et perlucens oculis objecti; quia sicut hie suo colore cuncta inficit, et iunctura reddet, sic etiam donum omnibus oculis positum, suo item colore causam donantis imbuti, effluatque ut iustior et cum æquitate conformior insipienti appareat.

Idem per gemmam gratiosissimam accipit gemmam, quæ gratiam et amorem conciliat, qualem esse sapphirum asserit S. Epiphanius, lib. *De Gemmis*, et jaspidem S. Isidorus. Talem quoque esse hyacinthum veteres opinati sunt. Unde de quanta hyacinthorum specie que ad crystallum accedit, sic scribit Plinius, lib. XXXVII, cap. IX : « Talis

aliqui malunt pæderotas vocari, alii anterotas, multi Veneris gemmam, quod maxime videtur decere et specie et colore extremo gemmæ. » Ad idem Magos credere prodesset reges aditrus. Sic adamas perhibetur iram comprimere, et conjugum amorem fovere, ideoque reconciliatiois gemma vocatur, ait Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. IV. Idem, cap. CLXXVII, asserit umbilicum Veneris (nomen est gemmæ instar conchylii) a Venere nomen habere, quod gratiam et amorem conciliare credatur. Dico credatur, quia multa gemmarum vires vulgo credite, sunt fabulose et falsæ.

Sensus ergo est, *g. d.* « Lapis gratia (sive benevolentia) munus in oculis domini, » id est, perinde munus principi oblatum gratiam illius alliecit, sicut gemma aliqua pretiosa ex his quæ excitandi amorem et benevolentiam secretam conciliandi vim habent, *g. d.* Principe donum aliquis manu accipiens, quasi anulum manus sue inserit, inclusa gemma aliqua ex his quæ benevolentiam et amorem cordi inspirant.

Ad hæc « lapis gratia » appellari potest magis lapis, qui, ob vim quam habet ferrum ad attrahendi, amori atque gratia tribui solet; unde apud veteres id nomen sortitus est, ut vocetur « lapis amoris; » atque Græcos magnetem *μαγνητις*, id est amorem, appellare solitos, auctor est Pollux, *g. d.* Munus, utique principi collatum, non aliter ejus gratiam et benevolentiam trahit, quam magnes ferrum. Mira sane, arcaea et pene incredulabilis est vis magnetis in trahendo ferro, ad id magis nonnullis dici videatur quasi magus; licet Plinius, lib. XXXVI, cap. XVII, ab inventore ita dictum censeat, Lucretius vero a loco, puta a Magnesia in qua oritur. Sic enim canit :

Quem magneta vocant patrio de nomine Gæli,
Magnetum quoniam patris in finibus oritur.

Similis vis trahendi et conciliandi animos est in donis et numeribus, ut videantur ipsa esse viva et animata, perinde ac Thales, eumque secutus Cardanus, censuit magnetem esse vivum et animatum : vis enim movendi se, inquit, animam ostendere videtur, licet hoc recte confutet Scaliger, et noster Nicolaus Cabeus, lib. II *De Magnete*, cap. II. Rursum sicut vis magnetis angulum molem quo lapis major est, magis, eo majora trahit, sic et dona quod majora sunt, eo magis animos vincunt. Insuper sicut vis magnetis frangitur, et quasi marcescit frigore, glacie, imbre, ac pressurâ si diu existat sub aquis, vel in loco humido, uti docet Cabeus, lib. II *De Magn.* cap. II, ac rationem assignat; negat vero hanc vim infringendi magnetem alio, cui multi eandem attribuerunt, sed falso : ita donorum vim infringendi, si ab animo frigido, tepido, et quasi aqueo prominent : donum enim ab animo donantis estimationem, vim et pondus accipit; animus ergo amore et benevolentia donum æquet, imo superet, idque vultu

et verbis hilaribus significatur : hæc enim animi sunt indices. Denique Symmachus, pro *gemma*, vel, ut Hebræice est, *lapis*, vertit, *pondus* (olim enim lapidibus utebantur pro ponderibus) *gratia munus*, *g. d.* Sicut pondus libræ lancem cui imponitur degravat, factique eam lancem oppositæ præponderare, sic munus datum iudici, lancem voluntatis ejus, indeque iustitie, degravat, et ad se trahit, factique ut parti adversæ præponderet, aque videatur equior et iustior.

Denique R. Salomon per *munus* accipit orationes, quæ quasi munus Deo offerantur, *g. d.* Quando homo Deo offert munus precum, id Deo velut gemma pretiosa gratum est : quare omnium quæ postulat, felicem successum ei concedet. Verum hoc mysticum est munus.

Versio vero Vulgata, quæ pro *munus* vertit, *expectatio prestolantis*, esto eodem modo exponi possit, uti jam dixi, proprie tamen significat rem quæ expectatur, *g. d.* Cum res (v. g. donum, beneficium, dignitas, victoria, prosper successus, etc.) quam quis avide expectavit, diuque prestolatus est, impletur et adventit, ita recedit et satiat ejus animum, ac si gemmam gratiosissimam et pretiosissimam adeptus esset : quare antequam illam adipiscatur, dum adhuc illam expectat, quocumque se vertat, prudenter intelligit, id est, prudenter et intelligenter se gerit, ut illam quam tam avide expectat, assequatur. Aut, ut Jansenius, *g. d.* Res expectata a prestolante magni fit ab illo, etque in oculis ejus velut gemma gratiosissima : itaque quocumque se talis expectans vertit, et quidquid aggredditur, aut quocumque diverdit, prudenter se gerere studet, ut re desideratissima non fraudetur, sed eam aliquando assequatur, juxta illud cap. XIII, 12 : « Spes quæ differtur, affligit animam; lignum vite desiderium veniens. » Hinc patet radix, et quasi ratio a priori, hujus sententiæ, nimirum quod desiderium sit in anima id quod fames est in stomacho. Sicut ergo famelicus gratiosissimus est cibus, quo famem exsatiat; sic desideranti gratiosissimum est potiri re desiderata, quia illa desiderium et famem animæ explet. Adidit Jansenius videri nostrum interpretem pro *שְׂחָח* *sochach*, id est munus, legisse *שְׂחָח* *sochach*, id est res mane quaerita : hæc enim est *expectatio prestolantis*; quod enim quis prestolatur, hoc summo mane quaerit et procurat; nam radix *שְׂחָח* *sochach* significat manicare, mane surgere, mane quaerere. Verum non est necesse huc confugere, presertim quia *sochach* Hebræis non est in usu. Igitur Hebræa ad verbum habent, *lapis gratia munus in oculis dominorum ejus*, hoc est, munus quod domini semper in oculis et amore habent, quod prestolantur et expectant avide. Nam quod quis amat et desiderat, hoc jugiter oculis intuetur; hoc ergo est « expectatio prestolantis. »

Nota Hebraea *הַשְׂחָח* *haschil*, id est intelligere, sæpe in Scriptura significare prudenter agere, uti

hoc loco vertit Chaldaeus, studioso operari, sedulo et vigilantiter alieci rei incumbere, ut *Psalm.* XI, vers. 1 : « Beatus vir qui intelligit super agnatum et pauperem, » id est, beatus est qui cogitat, ut vertit Chaldaeus, seduloque intendit ut agrote et pauperi prospiciat. *Psalm.* XIII, 2 : « Ut videat si est intelligens (intelligenter et sapienter agens), aut requirens Deum. » *Psalm.* XXXV : « Noluit intelligere ut bene ageret, » id est, noluit serio intendere et incumbere bonis actionibus; et alibi sæpe. Denique *שְׂחָח* *sochach*, id est munus, in Scriptura subinde significat mercedem, uti hic vertunt Septuaginta. Merces enim est quasi munus et premium labori congruum et debitum, ut sensus sit, *g. d.* Merces in oculis laborantis est, quasi speciosissima gemma que eum ad strenue laborandum incitat; quare quocumque se vertit, id est, quidquid ex pacto et conventionem laborando agit prudenter et exacte obit, ut mercedem adeo optatam consequatur; quam proinde illi conductor illico peracto labore prestat oportet, si ejus merito, voto et expectationi satisfecerit velit.

Hinc anagoge Beda per gemmam gratiosissimam accipit præmia celestia; sic enim ait : « Qui premia futura fideliter expectat, quasi gemma splendidissima possessione letatur. Nam et in Evangelio negotiator sapiens pro acquisitione pretiosæ margaritæ, id est desiderio celestium, omnia quæ habuit vendidit; talisque exactor sive adversus, sine prospera, conligitur, a sua intentione non flectitur, prudenter intelligens, quoniam diligenter Deum omnia cooperantur in bonum. »

Porro Septuaginta pro *gemma* vertunt, *disciplina*, quia hæc est gemma celestis et prestantissima, imo margarita Evangelica de qua Christus, *Matth.* XIII, 46; nisi quis dicat Septuaginta pro *חַבְרֵן* *eben*, id est lapis, gemma, legisse *חַבְרֵן* *haben*, id est intelligere, et intelligentia, sive doctrina et disciplina. Sic ergo Septuaginta vertunt, *merces gratiarum disciplina his qui utuntur; quocumque se verterit, prosperabitur*; vel, ut clarior Auctor *Catechæ Græcorum* : « Gratiarum virtutumque merces, his presertim qui recte ea utuntur, est morum doctrina. Quocumque autem ejusmodi doctrina instructus esse verterit, prospere semper incedet. » Quod Polychronius ibidem sic exponit : « Disciplina moralis est virtutum merces, quas gratiarum nomine hic appellat. Qui igitur virtutum curriculum confecerit, ille moralem sapientiam quasi laborum insumptorum mercedem consequetur. » Alii vero sic explicant : « Disciplina est merces gratiarum, » id est, disciplina mercedem gratiosissimam, vel amplam gratiarum virtutumque mercedem, afferit his qui ea utuntur, eamque opere exercent. Denique noster Alvarez de Paz, *tract. De Perfectione*, per gemmam gratiosissimam accipit perfectionem virtutum, quam fideles et Sancti avidissime prestolantur, et ad eam totis animis viribus contendunt, ideoque in omnibus cogitatis, dictis et factis prudenter se gerunt, caveat

que ne vel in minimo a via virtutis deflectant.

9. QUI CELAT DELICTUM, QUÆRIT AMICITIAS; QUI ALTERO SERMONE REPETIT, SEPARAT FOEDERATOS. — Hebraice, qui legit *provaricationem*, querit amorem; et qui iterat (1), vel mutat, vel variat verbum, separat duces. Ita Theodotion, Pro foederatos hebraice est *אֲלֻפִּים* aluph, id est duces, per quem R. Salomon accipit Deum, q. d. Qui alteri vitia objectat, separat a se Deum, qui dixit et sanxit: « Non quaeras ultionem, nec memor eris injurie civium tuorum. » Levit. xix, 18. Melius alii passim per *duces* accipiunt duces, per enallagen numeri. Noster vertit foederatos, quia duces et principes solent foederari, ac inter se foedera sancire. Potest etiam aliquid significare foederatum allusione ad *אֵלֶפֶת* eleph, id est mille, et ad *אֲלֻפִּים*, id est bos: boves enim gregatim quasi foederati incedunt et pascentur. Unde Chaldaeus vertit, qui repetit sermonem, dividit amicum; Septuaginta, qui celat injuste facta, querit amicitiam; qui autem odit (leguntur *אֲנִי* sone, id est odit, pro *אֲנִי* sone, id est respicit) celare, dividit amicos et domesticos. Ita Romani et caeteri. Perperam ergo in Complutensibus pro *dividit* legitur contrarie *irama*, id est statuit, erigit; Syrus, qui negat occultare, amicos et domesticos separat; Symmachus, qui iterat et repetit sermonem, separat consuetudinem, id est consuetam amicorum familiaritatem; Vatablus, qui celat peccatum, querit amicitiam; qui autem revelat rem, dissidere facit principem a principe, id est, qui peccatum non improperat alteri, declarat charitatem; qui autem improperat, etiam principes amicos a se averit. Hoc est quod dixit Salomon, cap. x, versu 12: « Odium suscitavit rixas, et universa delicta operit charitas. » Jam

Primo, S. Chrysostomus in *Catena Graecor.*, per delictum accipiens proprium, non alienum, sic exyoni, quasi dicit: « Qui per virtutes vitia sua abscondit, dei amicus efficitur. Igitur per justitiam scilicet et aboleum injustitiam; per temperantiam et castitatem, lasciviam et incontinentiam; per dilectionem et charitatem, odium et simultatem. » Verum alii passim delictum hoc loco alienum, non proprium accipiunt. Unde

Secundo, B. Antiochus, serm. 64 *De Arcano legendo*, sic exponit: Qui celat alterius delictum secreto sibi commissum, illudque in mente sepe lit, hic studet amicitiae; qui vero illud revelat, domesticos a se dividit, omnesque contra se concitat. Sic et S. Chrysostomus in *Catena Graecor.*, qui hanc quoque sensum priori annectit.

Tertio, Tigurina vertit, qui variat verba, magnates dissociat, q. d. Qui delictum celat, id est excusat, imminuit, et, quantum potest, obtegit, hic inter dissidentes facile pacem et amicitiam con-

(1) Qui iterat verba, qui recoquit rem commissam oblivioni tradendam, v. g. qui culpam ab amico admissam et sepius in memoriam revocat: hoc enim pertinere videtur ad conciliandam inter amicos servandam.

ciat: at vero qui variat verba, id est, qui delictum per injuriam alterius exaggerat, amplificat, aliterque narrat quam gestum sit, hic etiam foederatos « magnates » dissociat, ac inter eos suspiciones, odia, lites et bella suscitavit.

Quarto, plene et genuine, q. d. Qui delictum alterius vel contra se, vel contra alios admissum non divulgat, nec objectat, sed celat, et oblivione sepelit, nec iratum prae se fert: hic mirum sibi amorem conciliat illius a quo laesus vel offensus fuit; rursus hic alios inter se consociat et amicitia jungit. Qui vero delictum alterius jam seditum vel sepultum identidem repetit et reficit, hic separat tum a semetipso, tum a sese invicem foederatos et amicos. Sicut enim vulnus quod crustum obdixit, vel malagmate lectum est, si rursus aperitur et fricetur, recrudescit: sic offensae et odia oblivione sepulta, si novis sermonibus refricentur, recrudescunt, acurunt, et subinde insanabiles evadunt, uti quotidiana doctae experientia. Docet ergo Salomon modum quo offensa sedantur, et modum quo renovantur, ut illum amplectamur, hunc refulemus.

Sic faciebat S. Monica mater S. Augustini, de qua ipse in haec verba scribit, lib. IX *Confess.* cap. ix: « Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cuius utero me creasti, Dens meus, misericordia mea, munus grande donaveras, quod inter dissidentes atque discordes quasi beatas animas, ubi poterat, tam se praebat pacificam, ut, cum ab utraque multa de invicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quando presenti amico de absente inimica per acida colloquia crudelitas (vel, ut alii legunt, cruditas) exhalatur odiorum; nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. Parvum hoc bonum mihi videretur, nisi turbas innumerabiles tristes experiret, nescio qua horrenda pestilentia peccatorum latissime pervagante, non solum iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, sed etiam quae non dicta sunt addere; cum contra animo humano parum esse debeat inimicitias hominum nec exagitate, nec augere male loquendo, nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit: qualis illa erat docente te magistro intimo in schola pectoris. Denique etiam virum suum jam in extrema vita temporali ejus lucrata est tibi, nec in eo jam fidei plaxit, quod in nondum fidei toleraverat. »

Ex dictis liquet radioem, et quasi rationem a priori, hujus sententiae esse charitatem. Ideo enim celans delictum delinquentem sibi suisque amicat, quia insignem illi charitatem ostendit, quia celando ejus delictum celat ejus infamiam, ejusque honorem et famam integram illibatamque servat. Cordati enim famam maximi faciunt; quare illum qui eam tuetur, mire diligunt: magnes enim, et illex amoris est amor. E contrario qui delictum reficit et prolat, hic famam delinquentis ledit et vulnerat, ideoque eum sibi

suisque offensum reddit, utique ex defectu charitatis et prudentiae.

10. PLEUS PROFICIT CORREPTIO APUD PRUDENTEM, QUAM CENTUM PLAGE APUD STULTUM. — Hebraice, frangit increpatio intelligentem magis quam percutere stultum centum; S. Luaginta, continent *minae* vir prudentis, stultus autem flagellatus non sentit; Theodotion, venit correptio in intelligentem, plus quam percussio in imprudentem; Chaldaeus, penetrat increpatio intelligentem magis quam percutere stultum centis virgis; Syrus, *minae* cor sapientis opprimunt; et per increpatione torquetur stultus, et non sentit. Pro proficit hebraice est *הִתְחַלַּח* techach, quod aliqui derivant a radice *חָח* chach, id est deduxit. Unde Vatablus et Cajetanus vertunt, descendit (1) in cor stultum increpatio; R. Levi, decedit; Theodotion, venit. Sed longo verius alii *techach* derivant a *חָחַח* chatat, id est fregit, contrivit.

Sensus ergo clarus est, q. d. Prudens, si ubi batur vel erret, magis movetur, si corripiatur verbo, ad corrigendum erratum, quam stultus, d est imprudens et improbus, movetur verbere etiam centuplicato. Correptionem intellige sive eam quae fit ab homine, sive quae fit a Deo, de qua Auctor *Catena Graec.* sic exponit, quasi dicit: « Vir prudens, ait; ob divinas comminationes corde contemnit et respicit; stultus autem ne fame quidem, aut alia clade aut tentatione pulsatus, sentit, aut ad frangem se convertit, sed in malitia obstinate persistit, adeoque diversis malis, vindictaeque incommotis ultro sese involvit. »

Ratio hujus sententiae est prima, quod prudens sequatur ductum recte rationis. Itaque si vera ratione ostendas eum errasse, veritatis et rationi cedet, erratum agnoscat, delictum corriget. Stultus vero non sequitur ductum rationis, sed phantasiae et concupiscentiae; quia mordicus adheret, hinc ab ea non nisi multis verberibus avelli potest. Igitur stultus est quasi animal brutum, v. g. canis, equus, asinus. Sicut enim canis os rodens, ab eo non nisi multis plagis avelli se sinit, imo subinde sinit se lanari et caecari potius quam os dimittit: sic et stultus a suis cupediis non nisi multis flagellis abstrahi se patitur. Ita S. Hieronymus, quem citat Dionysius hic: « Nihil necesse est, ait, bis pungere non recalcitrantem, eui sua ratio est magistra, cui propria conscientia est virga. » At recalcitrantem stultum et impium multoties pungere est opus, ut per viam rectam incedat, quia ejus magistra est phantasia, nutrix concupiscentia.

Secundo est, quod prudens ex ignorantia vel infirmitate, quae verbo correptionis tollitur, la-

batur et erret, stultus vero ex malitia et obsequione, quae non nisi longa duraque verberum malleatione contundi et rumpi potest. Rursus prudens est generosus, honestus et verecundus, cui verbum sufficit ad corrigendum errorem; stultus vero est ignavus, protervus et impudens, qui multis plagis cogendus est ad officium, juxta illud Q. Curtii: « Nobilis equus umbra virgae regitur, ignavus ne calcari quidem potest. » Et illud: « Sapientem nutu, insipientem fuste regas e. flectas. » Unde S. Gregorius, III part. *Pastor.* cap. viii: « Aliter, ait, admonendi sunt impudentes, atque aliter verecundi. Illos namque ab impudente vitio non nisi increpatio dura compescit; istos autem plerumque ad melius exhortatio modesta componit. Illi se delinquentem nesciunt, nisi etiam a pluribus increpatur; istis plerumque ad conversionem sufficit, quod eius doctor mala sua saltem leviter ad memoriae reducit. Illos melius corrigit qui invadendo reprehendit; istis autem major profectus adducitur, si hoc quod in eis reprehenditur, quasi ex latere tangatur. Impudentem quippe Judaeorum plebem Dominus aperte increpans ait: Frons mulieris meretricis facta est tibi, nobilisti erubescere, *Jerem.* iii. Et rursus verecundantem refovet, dicens: Confusionis adolescentiae tuae oblivis eris, et opprobrii vividitas tuae non recordaberis, quia dominabitur tui qui fecit te, *Isaie* iv. »

Tertia est, quod prudens prudenter verbis credit et cedit, ne verberibus cogatur; stultus autem stulte verbis non movetur, sed verbera expectat, quibus crebro lectus tandem callum obducit, fitque insensibilis, uti videmus protervos juvenes virgis non moveri, sed potius obdurari, ac mancipia flagellis herorum jam assueta illa nihili facere. Unde est illud apud Comicum admonentis ne servum, qui jam ad plagas obdurat occalleratque, pulset, utpote manui sua potius quam illi nociturus: « Noli, ait, amabo, verberare lapidem, ne laedas manum, » q. d. Lapidem verberat qui verberat incastigabilem, aut docet indoctum. Talis est vinosus et ebrius, qui dicit, *Prov.* xxiii, 35: « Verberaverunt me, et non dolui; traxerunt me, et ego non sensi; quando evigilabo, et rursus vina reperiam? » Et impi de quibus queritur *Jerem.* v, 3: « Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et non renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. » Ab assuetis enim non fit passio, et assuetudo sensum mali admittit, et in plagis qui semel dedoluerit, induunt indolentiam, nec verbera sentiunt, perinde ac si saevum haberent dorsum.

11. SEMPER JURGIA QUÆRIT MALUS: ANGELUS AUTEM DOMINI CRUELIS MITTITUR CONTRA EUM. — Hebraice, sene rebellionem querit malus; et tantus crudelis mittitur in eum; Septuaginta, contradictiones (Synmachus, contentiones; Theodotion, exacerbationes) suscitavit omnis malus: Dominus autem angelum im-

(1) Descendit, recte. Ita Sallustius, *Jud.* cap. xi: « Verbum... in pectus Junyria descendit. » Item Livius, II, 52: « Coram in animos descensuram. » Quoad sententiam, conf. illud Cohari Medii in Orat. ad Bessum dictum, apud Curtium, lib. VII, cap. iv: « Nobilis equus umbra quoque virgae regitur, ignavus ne calcari quidem concitari potest. »

« miseriam » (Symmachus, ἀμαρτυρία, id est sine misericordia, vel vitiosarum) amittit et; vel, ut Auctor Catone Græcor., improbi et nequam ad unum omnino suscitant controversias et contradictiones: Dominus autem crudeliter angelum adversus ejusmodi amittit; Chaldeus, verum vir amarus querit malum, etc.; R. Salomon, cuius verba vitiosa sunt et procaeca, semper malum querit (1). Jam

Primo, Cajetanus: Prima, inquit, particula aniceps est; nam verti potest: « Tantum rebellis querit malum, » vel « tantum rebellionem querit malus. » Priorem versionem sequitur Vatablus, qui habet: « Rebellis duntaxat malum querit. » Quod dupliciter exponi potest. Primo, q. d. Alii facinorosi admittunt mala, dum datur occasio lucri, honoris vel alterius rei illicite esse; at rebellis studio querit mala, ut rebellionem foveat; secundo, q. d. Rebellis nihil boni, sed malum duntaxat querit, quia mala duntaxat ei utilia sunt ad sustinendam rebellionem. Id in publicis rebellionibus experientia manifestum est: in privatis idem fieri non raro videmus. Sic hoc tempore multis in locis a rebellibus inducta est heresis, et scelera eam consequentia, quia hæc serviebat rebellionem: nec enim Catholicorum fides et conscientia rebellionem moliri sustinet. Posterioris versionis sensus est, q. d. Solutus malus, id est pravus et perversus, querit rebellionem; et quia rebellio ingens est scelus, hinc a Deo vindicæ angelus crudelis mittitur contra eum. Per angelum hunc, id est nuntium, intellige vel demonem, vel carnificem, qui rebelles plectit, vel similem a Deo destinatum ad bellum castigationem.

Secundo, Pagninus vertit, profecto vir rebellis querit malum suum, et nuntius crudelis mittitur contra eum, q. d. Rebellis rebellando suo principi vel superiori, non tam ipsi quam sibi malum accersit et creat, perinde ac qui contra stimulum calcitrat: quia a principe, qui potentior est, opprimitur et evertitur. Princeps enim nuntium crudelium, puta licetorem vel militem, qui eum capiant et perdant, in eum imittit. Exemplum clarum est in Pharaone, qui rebellans Deo et Mosis, cum iisque discipulis et litigans, gravissimas Dei plagas per angelos malos (ut dicit Psal. lxxvii, 49) immittas cepit, adeoque tandem eum toto exercitu mersus est in mari Rubro, Exodi xiv. Pharaeo ergo est exemplum, imo exemplar, vindicæ rebellionem. Sic Core, Dathan et Abiron rebellantes Mosis, vivi absorpti sunt a terra, ac a demonibus abrepti in tartara, Num. xvi.

Tertio, nonnulli hæc explicant de subdito, qui « strepit et rebellat Superiori humaniter eum opprimenti: hic enim incidit in manus Superioris severi, qui instar angeli crudelis ejus pervicaciam duris verbis contundet et franget. Imo idem Superior qui prius benigne cum eo egerat ut ovis, visa ejus pervicacia, induit personam leonis, et in eum deservit ut leo. Sic S. Gregorius Nazianzenus, orat. 1 Apolog. de fuga, vocat Superiorem imitari debere Proteum, ac varias formas induere, ut nunc in formam agni cum morigeris, nunc in formam leonis cum rebellibus se transformet.

Hæc explicatio vera est, sed arctior. Gnome enim generalis est: quare « angelus crudelis, » non tantum Superior severus, sed quisvis alius in rebellem jussu Dei deservens, accipiendus est. Solet enim Deus justo judicio efficere ut qui in fortitudine sua præcedentes rebellant Superioribus, incidant in alium quempiam fortiores se a Deo destinatum, qui cum eis quasi duellum inest, eosque debellet, sternat, contundet et proferat. Hic ergo crudelis adeo, ut nulla misericordia moveatur, mittitur contra eum, ut eum morti dedat, ait Aben-Ezra, et eum gravissima clade afficiat, ait R. Levi, nec ulla pietate moveatur, propterea quod rebellis a Deo defecerit. Rursus idem R. Levi sic explicat, q. d. Rebelli non satis est ex oburgatione nihil prorsus proficisse, nisi etiam deflectioni assidue inhiat; et licet sevens angelus in eum imittatur, a quo horrenda flagella suslineat, criminibus tamen suis coram domino impietatis addit.

42. EXPEDIT MAGIS URSE OCCURRERE BAPTIS FORTIBUS, QUAM FATIGO CONFIDENTI IN STULTITIA SUA. — Hebraice, occurere ursum orbatum in viam, et non stultum in stultitia sua (2). Supple, expedit, q. d. Salius est incurere in ursum quam in stultum, quia stultus perniciosior est urso, ait Aben-Ezra: ursus enim corpus, stultus, id est implus, et corpus et animam perdit. Rursus ursi, utpote bruti, forem ratione et consilio desinent; at stultum qui ratione utitur et abutitur, imo ea armatur, qua arte declinet. Quisque seivior est stultus urso, cum eum a suis catulis, id est concupiscentiis, abducit, corripit et castigat. Symmachus, occurere urso orbata viam, et non stultum in stultitia sua; supple, melius est. Chaldeus vero, occurrit, ait, urso et terror viro sapientem, et non commoveatur; et stultus in stultitia sua cadit; Septuaginta, incidit sollicitudo viro intelligenti, imprudens autem excogitavit mala; Syrus, incidit cogitatio et timor viro sapienti, et stulto stultitia sua.

Hæc sententia pendet a precedentibus; per stultum ergo non quemvis hominem vitiosum, sed plane pravum, impium et rebellem, qui in monitores sevit, accipit, de quo dixit vers. preced.: « Semper jurgia querit malus, » Hunc ergo componit et antepōnit in ferocia ursæ, pollicetur

(1) Nil nisi malum querit contumacia, rebellis, et nuntius crudelis mittitur in eum, et gravissime plectitur rebellis.

(2) Incidat (proprie occurrere) ursus orbatus, id est, urso orbata catulis in aliquem; at ne incidat vesanus in stultitia sua, cum astu stultitiæ accessus fertur.

quam urso, q. d. Salius est occurere ursæ quam fatuo, qui præ urso furibundus te invadit, ut tibi famam, spes, vel etiam vitam, imo conscientiam et animam edimat. Urso enim seivior est urso, Audi Aristotelem, lib. IX *Histor. animal.* cap. 1: « Ursorum in genere præter morem aliorum animalium femina animosior est ac ferocior, » præsertim si quis ei catulos abripiat et suffuretur: tunc enim mire sevit et furit. Urso enim præ ceteris animalibus amat suos catulos, quia eos parit informes, ac deinde lambendo format, perinde ac stultus, sive impius, perversas suas molitiones cogitans, quasi mente lambendo format, ut eas in aliorum perniciem dextre exsequatur. « Urso, ait Aristoteles, lib. VI *Histor. animal.* cap. xxx, parit exemplimum quinque; minorem calo, majorem mure parere solet: nudum item et cæcum, et cruribus propemodum membrisque aliis plurimis indiscretum et rudem, » ideoque « inarticulatum, » ut idem ait, lib. IV *De Gener. animal.* cap. vi. Sic et Aelianus, lib. II *De Animal.* cap. xxx. Audi Plinium, lib. VIII, cap. xxxvi: « Hi (catuli ursæ) sunt candida informisque caro, paulo muribus majores, sine oculis, sine pilo; ungues tantum præminent: hæc lambendo paulatim figurant. » Et S. Ambrosius, lib. VI *Hexæmer.* cap. iv, ubi ursam exemplum studiosæ educationis liberorum statuit: « Urso quidem, ait, fertur informes ulero partus edere, sed matos lingua fingere, atque in speciem sui similitudinemque formare. Non miraris in fera tam pli oris officia, ejus naturam pietas exprimit? Urso igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituire similes tui non potes? »

Addit Plinius amoris ursæ in catulos argumentum: « Pietus rigentes apprimendo pectori fovent, non alio incubitu quam ova volucres. » Et mox: « Oculi eorum hæbentur crebro. Invalidissimum urso caput, quod leoni fortissimum: ideo urgente vi præcipitanti se ex aliqua rupe, manibus eo aperto faciuntur, ac sæpe in arena colopho infrocto examinantur. Crebro vendicium inesse Hispani credunt, occisorumque in spectaculis capita cremant, testato quoniam potum in ursinam rabiem agit. Nec alter animalium in maleficio stulticia (legendum villetur astutia) solertior. » Quæ omnia apprime competunt stulto: hinc enim oculi mentis hæbentur; caput est infirmissimum, omnique consilio, ratione et sapientia destitutum; crebrum inditia, dolis, fraudibus et insania refertum, quod illos aliosque in ursinam rabiem et impietatem agit. Hinc ursus doli regie ac ferocis est symbolum. Ita S. Basilus, hom. 10 *Hexæmer.* « Dolus, ait, quoties in anima doli fraudisque concinnatrice sibi delegit domicilio, urso quovis in suo spelæo collabibrante implacabilior est. » Unde malitia Antichristi doli armata et roborata comparatur pedibus ursi, *Apocal.* xiii, 2. Urso autem dolosior est urso. Nam in omni genere animalium, ut ait

Aristoteles, lib. IX. *Hist. animal.*, « multosiores, astutiores, insidiosiores femine sunt, et in evadenda prole sollicitiores; mares contra simplices minusque insidiosi. » Insuper, urso, dum furit, lapides a tergo jacit in quemlibet qui occurrit, vel sequitur, sine delectu: sic stultus, si arguatur, protra et maleficia jacit in arguentem, imo in quoslibet astantes sine discretione. Ad hæc ursus injuriæ est memior: nam post plures menses, imo annos eum, a quo lesus est, in magna venatorum turba agnoscit, invadit et perimit: sic et stultus iras per menses et annos alii. Præterea ursus nulla misericordia flebitur, sed ad necem usque hostem prosequitur. Unde Ovidius, lib. III *Tristium*, elegia 3:

Quo quisque est major, magis est placabilis ira,
Et facilis molus mens generosa capiti,
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna sudis finem, cum jacet hostis, habet.
At lapsus, et tristes instant morientibus ira,
Et quæcumque minor nobilitas fera est.

Sic Sapiens et magnanimus parit hosti se humiliant: at stultus instar ursi inflexibilis et immisericos hostem prosequi non cessat, donec eum proferat et disperdat.

Jam seivior esse stultum furentem urso raptis catulis seiventi, liquet, ex eo quod urso specie virginis et infantis mansuescit: quod non facit stultus. Refert Aelianus, lib. XIII *Varia Histor.* cap. 1, Attilium virginem celebratissimam, recens matam a patre Jasono expositam, nutritum fuisse ab urso, quæ catulis a venatoribus spoliata, uberibus lacte turgenibus virginem aluit, itaque et suam dolorem ab catulis raptos mitigavit, et virgini vitam contulit. Adde ursum multum habere phlegmatis, quo iram et sevitiam suam diluat. Invalidissimum iudicium certum est, quod ursus in hieme, quando generat, per 40 dies lateat quasi sopitus et semidormiens, tumque sine cibo vivat, et tamen pinguescat, teste Aristotele, lib. VIII *Hist. animal.* cap. xvi, et Plinio, lib. VIII, cap. xxxvi, qui sic de uris scribit: « Mares quadragenis diebus latent, femine quaternis mensibus. Primis diebus bis septenis tam gravi somno præmuntur, ut ne vulneribus veterum exultari queant. Tunc mirum in modum videtur pinguescunt. Ab his diebus resident, ac priorem pedum suæ vivunt. » Stultus autem, dum furit, totum bilem alit, omnesque phlegma in choleram et furororem vertit.

Ratio ergo a priori hujus sententiæ est, quod feritate que urso est naturalis, pejor sit stultitia, id est improbitas, libera voluntate et destinata malitia assumpta a stulto, id est improbo; et si eum pejor, sic et acutior et ingeniosior est ad nocendum. Exemplum hujus sententiæ existat in Simeone et Levi filiis Jacob, qui stuprum Dinæ sororis utriusque, seivioris ursi furibundi irruerunt in Sichimitas, omnesque ad unum perinde trucidarunt,

Genes. xxxiv. 25. Similia videmus crebro in iis qui furore vindicte aguntur in perniciem multorum.

Porro Septuaginta, Chaldaeus et Syrus pro arso vertunt sollicitudo, timor et terror: quia ursus de catulis sollicitus, ac terrorem obvis incutiens, sollicitudinis et terroris est symbolum. Unde Auctor *Catena Graecor.* est Septuaginta sic vertit, *virum intelligentem varia curant curae, et sollicitudines; at stultus commentatur et excogitant mala;* Chaldaeus vero, *occurrit ursus et terror viro sapienti, non commoveatur; et stultus in sua stultitia cadit, q. d. Terrores non raro occurrunt sapienti et stulto: sed sapiens iis non commoveatur, quia consilio et generositate sua iis resistit, eosque discouit: at stultus stulte iis cedit et succumbit.* Ursus enim terrificus terroris est simulacrum. Nam, ut ait Horatius, *Epid. 16:*

Et vespertinus circumgegit ursus ovile.

Et Oppianus graphice ursum ejusque feritatem et terrorem ita pingit:

Immanes ursi, crudelis gens, fera membra;
Viles hirsuto densoque leguntur amictu,
Deformis specie, facies inhonesta, cruenta,
Tetrica, serrati dentes, et magnus hiatus,
Atraque ferventes exhalant ora vapores.

Sic saepe demon terrificas imaginationes, spectra, timores immittit homini, ut eum percellat, et in pusillanimitatem, desperationem, aliunde secus precipitet. Sed sapiens non movetur, imo ridet haec ut inania spectra. Sic S. Antonio apparuit specie ursorum, leonum, luporum, gigantum, ut eum turbaret; sed Antonius expertus ejus fraudes ea ridebat, ac signo crucis et oratione omnes has larvas dissipabat, ut illico in fumum abirent. Vere Seneca: «Berum imagines et phantasmata nos terrent, non res ipsae.»

Quocirca opus est vincere suam phantasmam, ac eam increpare, sibi dicere: Noli te credere et cedere; phantasma est vanum quod te terret, sperne illud, et tennes vanescet in auras. Qui laborat capitis verigine, putant omnia gyrari et verti, timeantque se in abyssum ruituros. At sani illos roborant verigine, putant omnia gyrari et verti, timeantque se in abyssum ruituros. At sani illos roborant, dicuntque: Nihil est quod metuas, solide consistis: non res gyrantur; sed tum cerebrum gyris agit. Ita dicit sapiens, dum timores occurrunt: Nihil mihi Deo nixo terrorem incutere poterit; imaginationes istae sunt cerebro immixtae: phantasmata terrificata sunt, non vero res ipsae terribiles. Quare iis non moveor, securus consisto in sinu Providentiae divinae, cunctoque cum Psal. 1: «Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur, etc. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno.»

13. QUI REDDIT MALA PRO BONIS, NON RECEDET (Syrus, non morietur) MALUM DE DONO EJUS. Septuaginta, non movebuntur mala a dono ejus. Sententia

est clara, q. d. ait Auctor *Catena Graecorum*: Iniquus et ingratus et perfidus, «qui beneficium / exceptum maleficio compensat, a Deo vindicte / oculis involvetur. Et merito; nam si iis penam meretur, qui malum pro malo reddit, quanto magis ille poena malum experietur, qui malum pro bono reddit? Est enim haec insignis non solum ingratitudo, sed et perfidia, quia ipsa naturae jura violat, quam proinde Deus naturae et scelerum vindex gravibus supplicis, sive infamiae, sive paupertatis, sive morborum, sive persecutionum, sive exilio et carcere, sive ipsa morte, quin et post mortem in filiis et familia punire et plectere solet. Hoc est quod magno doloris sensu de Judeis queritur Christus per Davidem: «Re- / tribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem anime meae, » *Psal. xxxiv. 12.* Et: «Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequabar bonitatem, » *Psal. xxxvii. 21.* Quocirca Deus Judeos in Christum tam ingratos, dum ipsi doctrina, laboribus, miraculis, probra, maledicta et crucem reddiderunt, totius gentis exadio et exitio mulctavit, et mulctat in hodiernum diem. Quod enim ipsi Christum crucifigendo acclamarunt Pilato volenti eum liberare: «Sanguis ejus super nos et super filios nostros, » usque hodie videmus compleri, dum sanguinis Christi illico Judeos toto orbe profugos ubique terrarum persequitur. Ita Lyranus, Dionysius, Jansenius, Baynus, Arboreus et alii.

Mystice, Hugo hanc gnomen adaptat iis qui indignantur suis persecutoribus aliiisque se vexantibus: persecutio enim ingens est bonum, cui proinde bonum, non malum respondere oportet. «Omnia, ait, qui malefacienti sibi irascitur, reddit malum pro bono; nam omnis molestia et tribulatio bona et salutaris est homini, vel ad satisfactionem, vel ad approbationem et incrementum virtutis; qui igitur tribulanti se irascitur, quasi puer scabiosus est, qui matri lavanti caput ejus irascitur et conviciatur. Item ejusmodi tribulatio aqua est ad exstinguendum ignem concupiscentiae: qui igitur tribulanti irascitur, similis est illi cuius domus ardet, et afferenti sibi aquam ad exstinguendum conviciatur. Item tribulatio panis est animi, *Thren. iii:* Saturabitur approbris, qui igitur tribulanti irascitur, similis est cani, qui manum porrigenti sibi panem mordet. » Et paulo post objectioni occurrit: «Sed dicit quispiam: Et si bona faciant tribulantes, non tamen beneficiunt, quia non hoc intendant, et ideo non sunt sustinendi. Amice, spinae quae vineam tuam claudunt et custodiunt, hoc non intendunt facere; sed si ideo rejicis, stultus es. » Porro hujus sententiae radix et ratio a priori est lex talionis, quae jubet ut malum malo reddatur, ut, quod injuste quis fecit alteri, idem juste subeat et patiatur. Qui ergo reddit mala pro bonis, meretur ut pro malo hoc enormi mala paria recipiat.

14. QUI DIMITTIT AQUAM, CAPUT EST JURGIORUM:

ET ANTEQUAM PATIATUR CONFUSELIAM, JUDICIUM DESERIT. — Salomon per aquam accipit linguam, quae levis est et fluxa instar aquae; sed hoc mysticum est. Hebraice, *aperiens aquas principium contentions;* et *antequam commisceatur iis, dimitte;* Chaldaeus, *qui effudit sanguinem sicut aquam, suscitavit jurgia;* et *antequam exardescat iis, dimittenda est, q. d. Sicut accensa fornax vel pyra, injecta modica aqua, non restinguitur, sed per antiperistasin magis accenditur et exardescit: sic etiam, si in rixa effundatur sanguis, eo non restinguitur rixa, sed magis exardescit, ut majores pugnae caedesque committantur; Syrus, qui effudit sanguinem, judicium exorat ante principem; Septuaginta alio abeat: *Potestatem, inquam, dat sermonebus principium justitiae; praecedit autem egestatem contentio et jurgium;* alii, *principium jurgiorum est sicut aqua erumpens, etc. (1).**

In nostra Latina versione, aequae ac in Hebraeo, more Hebraico subintelligenda est nota comparationis sicut, q. d. Sicut qui aquis in vase vel alveo conclusis rimam vel foramen aperit, facit ut primo quidem parum, sensim vero crescente foramine ac fluxu, multum aquae inde defluat, quod agros integros obruit et vastat: facile enim aperitur foramen, et semel apertum difficile clauditur: ita pariter qui initium dat libus et jurgis, dat occasione et viam aperit magnis jurgis, rixis, seditionibus et bellis, quae deinde difficillimum est sopire, quo fit ut aliquando totae civitates, provinciae et regna in schismata abeant, et in bella diuturna contententur. Lis enim litem serit non unam, sed multas, sicut ab uno frago serunt plurimae.

ET ANTEQUAM PATIATUR CONFUSELIAM, JUDICIUM DESERIT. — Est antithesis hemistichii praecedentis, quales hic passim occurrunt, q. d. E contrario, qui jurgia vitat, ille statim litem et judicium forense, antequam patiatur contumeliam, deserit. Antipodus est illatio et conclusio ex priori hemistichio educta, q. d. Qui dat initium liti, aperit januam magnis jurgis; ergo qui sapit, initio litem et judicium forense deserit, antequam patiatur contumeliam, et antequam liti per secula duratura sese implicet. Hunc esse sensum patet ex Hebraeo, qui habet, *antequam iis commisceatur, dimitte.* Ita R. Salomon, Aben-Ezra, Jansenius et alii; unde Tigurina vertit, *ut qui aquas aperit (exitum et fluxum), sic qui primum occasionem litigandi dat: antequam iis commisceatur, abjicienda est; et Vatablus, velut is qui aperit ripam fluvii, etc., nam a*

(1) Fissio (nam haec vox in hebr. nomen haberi potest; alii *fuitens* vel *dimitte aquas*), proruptio aquarum est initium contentions, id est, aquis prorumpentibus simile est initium contentions, ut si agere rupto vel ruina in agere facta exeat aqua, id nihil esse putator hitio, sed ubi semel emissa sunt, laxato paulatim foramine, liberius erumpunt omniaque inundant: sic jurgium, etc. Et, *itaque antequam exardescat iis, dimitte; alii, antequam se manifestet, litigare serit litem dimitte.*

principio aqua exilis parvas est, sed postea fit magnus: ita et in lite. Docet ergo Salomon prudenti fugienda esse lites, ideoque prima quis initia succedenda, quia dato initio, lites sensim sine sensu incrementum, suntque inextinguibiles et insuperabiles, ut homini quietem, opes, famam, vitam et subinde conscientiam adiunt. Unde Baynus sic breviter et clare explicat, q. d. Sicut ille qui aperit aquas, et fossam scindit, magna inundationis causam praestat, quam postea non potest cohibere, neque revocare: sic contentio litem vel jurgio facile est dare principium, litem vero componere difficillimum. Vel sensus est, q. d. Qui principium dat contentioni, totus lites est habendus auctor: sicut ille qui aperit et dimittit aquas inundare super terram, quae prius suo alveo defluabant, inundationis est auctor. Et proinde, ut in ceteris affectibus moderandis, principis obstandum est: ita quoque in libus et contentionibus: nam, ut aqua rupta fossa non potest revocari, ita nec ira; et contentio, ubi semel ceperit, vires acquirit.

Proverbum haeresiarchas et sectarum magistros maxime condemnat, juxta sensum allegoricum. Antistrophum huic sententiae est illud Arabum adagium, *centur. 1, num. 12:* «Esto onager cui supervenit venatores, » id est celerrime fuge, cum ex inopinatio tibi supervenit rixa: onagri enim in fuga et cursu sunt celerrimi. Et illud paradoxum Platonis, quod citat Cicero in *Tuscul.:* «Dimidium plus toto. » Saepe enim avari in lite capiunt totum, et parti adverse dimidium offerenti non acquiescunt; sed litem totum repellant: quo fit ut saepe causa cadant, et ipsi totum avare ambiebant, totum perdant; illa ergo «dimidium est plus toto, » Sic S. Gregorius Nazianzenus ultro cessit Archiepiscopo Constantino-politano ut lites Episcoporum sedaret, usurpans illud Jonae: «Si propter me orta est tempestas, projicite me in mare, ut vos jactari desinatis; qui proinde in distichis lambicis ita num. 53 consulti:

Lites prorem quis movent, iras ligant.
Lites finem non saepe signant gravem.

Idem consilium dedit Christus, *Math. v. 25:* «Esto contentions adversario tuo, » dicitur es in via cum eo; ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantelem. » Et vers. 40: «Et qui vult tecum iudicio contendere, et tunicaam tuam tollere, dimitte ei et pallium. » Et S. Augustinus in *Regula, cap. xxxvii, ita sanxit:* «Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de lestina, et animam faciat homicidam. Sic enim legitur: Qui odit fratrem suum homicida est, » *I Jean. iii.* Quia, ut idem ait, *epist. 87:* «Sicut acutum corumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. » Huc accedit S. Grego-

rius, qui altius litium exordium arcescens, illud tribuit rupturæ silentii. Sic enim scribit, part. III Pastor. admonit. 43: «Hinc (ex multiloquio) seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faeces odiorum, pax exstinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloqui relaxare. Quo contra in bona etiam parte iterum dicitur: Aqua profunda, verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam, caput est jurgiorum; quia, qui linguam non refrenat, concordiam dissipat.» Eadem habet lib. VII Moral. cap. XVI.

S. Gregorium de more secutus Beda sic breviter explicat: «Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum, quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Unde e diverso scriptum est, Prov. XXVI: Qui imponit stulto silentium, iras dissipat.» Sic et Salomonius, qui per aquam metaphorice accipit linguam, que instar aque mobilis est et fluxa. «Figurate, ait, hoc dictum est: nam per aquam designatur lingua levis et fluxa; et qui immo die linguam suam relaxat, caput est jurgiorum, quia qui linguam suam non refrenat, jurgia et lites concitat, et concordiam dissipat.» Maxime id verum est in eo qui revelat secretum amici, sive vitium, sive consilium, sive propositum: hic enim causa est inimicitie, odiorum, rixarum et litium. Minus recte Lyranus per aquam accipit vitium, quod, ut ille aiebat, est «aqua vitis,» sive in vite per solem decocta, q. d. Qui dimittit aquam, id est qui dimittit memoriam beneficiorum (quam Plutarchus, lib. De Amicitia, vocat «gratiarum delium») ab amico acceptorum, eorumque obliviscitur, hic «caput est jurgiorum,» quia beneficia vinculum sunt amicitie, que, si per ingratitude obliuiscam aboleantur, mox veteres injurie refricantur, et novæ succedunt, que jurgiorum sunt semina. Verum huic expositioni non coheret altera pars hemistichii: «Et antequam patiar contumeliam, judicium (discretionis) deserit,» ledendo proximum sine causa.

Secundo, apposite sic exponas, q. d. «Qui dimittit,» vel, ut Hebraice est, *aperit* «aquam» fluminis, vel fontis aut stagni, ut scilicet eam quæ juris est communis in suos usus derivet, sibi que quasi appropriet, hic est origo et causa jurgiorum. Sic videmus molitores, dum aquam publicam ad suum molendinum derivant, incidere in lites cum patris, qui queruntur aquam fluminis ab illis immitti, ut per illud jam navigare nequeant; et cum agricolis, qui queruntur agris suis subductam et suffratam fluminis irrigacionem; et cum quibusvis aliis, qui ejusdem aduacionem sibi adeptam sentiunt, eamque jure repetunt. Parcemia ergo hæc significat causam litium frequentem esse, cum quis bona communia, qualis est aqua, sibi facit propria; tunc enim æteri, quibus commune erat bonum, in illum insurgunt, illique litem intentant. Quare, qui sapit, «antequam patiar contumeliam, judicium deserit,» malens cedere re quam in suos usus converteret, illamque publico bono restituere, quam in lites incidere quibus sibi ignominiam et muletam accerast, dum quasi boni publici deprecator condemnatur, infamatur et muletatur. **Hinc illa sapientum vox: «Qui in communi sin-**

gularia ambit, auctor est litium.» Et illud Isocrates ad Democritum: «Ex communibus procuracionibus discede non ditor, sed gloriosior; nullis enim pecuniis melior est protecta a multitudine laus.» Sic videmus in monasteriis eos qui singularia querunt, omnia in se odia concitare. «Singularis enim ad omnia sua strenuus, ad communia est piger,» ait S. Bernardus, tract. De Gradibus superbia, gradu 5.

Redeo ad dimittentem aquas. Sane cernimus Romæ crebras orti lites de aquis fontium, v. g. de aqua Virgine, ex qua plerique bibunt, de canalibus fontium, quos Sixtus V et Paulus V Pontifices in urbem induxerunt. Cum enim hæc aquæ per uncias et semuncias in minores tubos et canales derivatæ variis sint dividende, ac sæpe fontes tantum aque non suggerant, questum calidè dividendum est, aut, si suggerant, ad alio divertatur, quod facile factum est, si quis tubum majorem aut demissionem tubis aliorum communi conehat, in quam fons influit, inserat: hic enim majorem et priorum aquam hauriet cum ceterorum damno; tunc sane damnum passi litam illi vel heris qui aquam dividenderant, movent, continguntque tubos omnes ad æquilibrium communi conehat insari, et ad quantitatem unde vel semuncie, qua aquam emerunt precise redigi, ne, si majores maneant, plus aque sugant quam par est, quod proinde sortem aliis debiliam immittunt.

Tertio, aliqui sic exponunt, q. d. «Qui dimittit aquam,» id est qui dimittit memoriam beneficiorum (quam Plutarchus, lib. De Amicitia, vocat «gratiarum delium») ab amico acceptorum, eorumque obliviscitur, hic «caput est jurgiorum,» quia beneficia vinculum sunt amicitie, que, si per ingratitude obliuiscam aboleantur, mox veteres injurie refricantur, et novæ succedunt, que jurgiorum sunt semina. Verum huic expositioni non coheret altera pars hemistichii: «Et antequam patiar contumeliam, judicium deserit.»

Quarto, alii censent alludi ad aquam, que agit rotam molendini; hæc enim per aquam influentem circumacta, si non habet frumentum quod molat, lapides ipsos molares rotati suo ita alhidit, ut ex his velut e silice ignem eliciat, qui continua lapidum collisione increscens, ingens exitat incendium, quo totum molendinum exurit; similimodo lingua in familiaribus colloquiis, cum non subest aliqua utilis materia, quam, ut ita dicam, molat, subjectum sibi lapidem atterit, id est ad proximorum detractiones, probra et contumelias se vertit, quibus rixarum ignem suscitât, adeo ut illius scintillis non una tantum domus, sed urbes magnæ non raro deflagent. Rota ergo molaris discordiarum incendium excitans est lingua effrenis, de qua S. Jacobus, cap. III, 6: «Lingua, inquit, constituitur in membris, que maculat totum corpus, et inflammat rotam natalitatis

inflammata a gehenna.» Ubi Vatablus: «Lingua est, inquit, que adducit in discrimen totum hominem, cum inconsulte movetur, ut more molendinorum totum molendinum incendat, ubi nimio motu ignem conceperint. Et antequam patiar contumeliam, deserit judicium,» scilicet vir sapiens contentionem dimittit, priusquam adversarius convicia in illum jaciât, et dedecus aliquod ipsi afflet. Hic sensus profundus est et appositus, sed multa supplet, ipsique sententiæ adjicit.

Quinto, Septuaginta, Hebræum מִדֹּן *madon*, quod Noster vertit *jurgiorum*, vertunt *justitiam*: *madon* enim significat litem, rixam, contentionem et judicium; lites enim in iudicio apud iudicem peraguntur, ut iudex eas ex justitia decidat et definiat. Rorsum pro *dimittit*, vel, ut Hebraice est, *aperit aquam*, Septuaginta vertunt, *potestatem vel licentiam dat sermonibus*. Videntur enim alludere ad clepsydram, que olim fiebat ex aquæ (uti nunc fit ex arenæ) fluxu; olim enim actores et accusatores in iudicio perorabant ad clepsydram, ut, cum illa effluisset, cessarent et darent locum reis ad se defendendum. Unde Apuleius, De Asino cæcuro: «Rursum, ait, præconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exurgit, et ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem colli graditate listolato, ac per hoc guttatim defluisa infusa aqua, ad populum sic orat.» Hinc ab aqua græce dicta est clepsydra, quasi *καταψαλμα*, id est suffurans aquam. Et Philostratus in Adriano Sophista, appellat sophistas clepsydræ, qui ad fluxum aque exercebantur. Et Cicero, lib. III De Oratore, de Pericle loquens: «At hunc, ait, non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat.» Quare dimittere aquam in clepsydra, est dare licentiam et inñum perorandi. Igitur Septuaginta sic vertunt, *potestatem dat sermonibus principium justitiæ; præcedit autem egestatem contentio et jurgium*; vel, ut clarius vertit Auctor *Catena Græcæ*: «Principatus (Græcum enim *ἀρχή* et principatum et principium significat) iustitiæ orationi libertatem et potestatem imperit; distiduum autem et pugna ad egestatem viam sternit,» q. d. Iudex vel princeps justus dat litigantibus, puta tam actori accusandi, quam reo se defendendi justum ad perorandum spatium; qui vero cautus et prudens est, lites et litigia fugit, quia hæc litigantes depauperant, et ad egestatem redigunt. Plurimæ enim et continue litigantium sunt expensæ in advocatos, procuratores, testes, iudicem, etc., qui litigantium opes emungunt. Sic ergo explicata versio Septuaginta eodem redit quo Vulgata Latina.

Symbolice noster Alvarez de Paz, tractat. De Mortificat. veter., per aquas accipit cogitationes mentis, quas omnes Sancti in Deo orloque colligunt et defigunt, ideoque sanctam, quietam et letam agunt vitam. Quod si per incuriam eas dimittant, et deorsum fluere sinant, ut scilicet coarctentur et vanitatibus mundi, illico ori-

tur in eis mentis distractio, inquietudo, lites et jurgium, demum concupiscentia trahit mentem deorsum, charitas vero sursum. Quod animo jurgium fusc describit Apostolus, Roman. VII. Quocirca Christus sollicita circa multa sollicitæ ait: «Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, que non auferetur ab ea,» Lucæ X, 41. Et S. Gregorius Nazianzenus, in Carm. De Beatitudine:

Felix, ait, a mundo abstractus, qui vivit eremo
In rigida, et mentem tollit ad astra suam.
Felix qui, multis junctus, non plurima versans
Distrahitur, pectus seel dedit omne Deo.
Felix, qui Christum fortius omnibus amat, etc.
Non homo jam, sed quis de grege coelestium.

45. QUI JUSTIFICAT (id est justum pronuntiat) IMPIUM, ET QUI CONDEMNAT JUSTUM, ABOMINABILIS EST UTERQUE APUD DOMINUM. — Hebraice est elegans paronomasia: מַצְדִּיק מַצְדִּיק רָעָה וְיֹשֵׁעַ צְדִיקָה *mazdîc ræca v. ioseph cædîc*, id est, ut Pagninus, *justificans impium, et impium faciens justum, abominatio Domini sunt etiam ambo*; Septuaginta, *qui justum judicat eum qui injustus, injustum autem eum qui justus, immundus et abominabilis apud Deum*; Vatablus, *ex vicio* (quasi parum injustitiam et parum iniquitatem) *abominatur Dominus tam eum qui sceleratum absolvit, quam qui innocentem damnat*; par enim Deo fit injuria, et par est perversio justitiæ, sive eam justo, ejus est, derogas; sive eam injusto, a quo abhorret, arrogas. Ratio quasi a priori est, quod Deus per essentiam sit ipsa justitia increata, immensa et fontalis; ab ea ergo velut a fonte manat omnis justitia creata Angelorum et hominum, quam proinde ut suam amat, ac vice versa odit et abominatur omnem injustitiam, quasi sibi essentialiter contrariam, et a demone profectam.

Triplex iter fieri solet, per tres impietatis et impii iudicii gradus, gradatim increscentes. Primo enim Auctor *Catena Græcæ* exponit hæc de iudicio privato, *judicare*, inquit, hoc loco non refertur ad forum civile, sed ad iudicium et sensum animæ. Idem est hic enim *judicare*, quod *reputare* vel *estimare*. Colligitur hoc ex eo quod apud Deum immundum et execrabilem illum esse prædicat, qui justum injustum judicat, et contra injustum justum. Monet autem per hoc Sapientis ne quid unquam justo aut vero antequam. Qui enim justum condemnat, et absolvit iniquum, gravem facit injuriam justo, utpote insoni et innocenti, ac ipsi justitiæ et virtuti. Denique occasio et causa est ut alii mores injusti imitent, justi vero aspernentur. Id sæpe faciunt homines ex privato amore vel odio; quem enim amant, ejus actus licet vitiosos excusant et laudant; quem vero oderunt, ejus actus licet honestos culpant et sinistra interpretantur. Hoc est quod queritur *Psaltes*, Psalm. IX: «Laudatur peccator in desideris animæ

esse, et iniquus benedictor. » Sic multi laudantur omnes, etiam vitiosos, divitum, nobilium, potentum, adulando, quia ab his officium vel beneficium sperant. Ita explicat S. Hieronymus in *epist. ad Philemonem*, cujus verba translata sunt in Jus Canonicum, et habentur 11, *Quaest. III*, cap. 54. *Si quis dixerit*, et cau. 55. *Si quis hominem*. « Si quis, ait, hominem, qui sanctus non est, sanctum esse crediderit, et Dei eum junxerit societati, Christum violat, cujus corporis omnes membra sumus. Qui dicit, ait, justum injustum, et injustum justum, abominabilis uterque apud Deum est. Similiter qui sanctum dicit esse non sanctum, et rursus non sanctum asserit sanctum, abominabilis apud Deum est. »

Secundo, Baynus, Vatablus, Jansenius et alii hæc exponunt de judicio forensi, quo iudex vel amore, vel odio, vel metu, vel munere corruptus, condemnat innocentem et absolvit nocentem, juxta illud *Isaia 7*, 23 : « Qui justificat impium pro muneribus, et justitiam justi auferit ab eo. » Hæc est insignis injustitia proprie dicta, evertens justitiam commutativam, ac proinde obligans ad restitutionem. Iudex enim a Deo constitutus est, ut quasi vicarius nomine Dei justitiam administret, et jus suum cuique tribuat; quod si non facit, Deo et justitiae et innocenti gravem injuriam irrogat, atque ad restitutionem damni tenetur.

Tertio, hæc sententia accipi potest de ipsa justitia et injustitia, q. d. « Qui justificat impium, id est impletentem impii, » et qui condemnat justum, » id est justitiam justi, abominabilis est Deo. Id faciunt homines perversi, qui vitia virtutum nomine palliant, et virtutes vitiorum specie dehonstant: verbi gratia, qui pietatem vocant hypocrisim, parcimoniam vocant avaritiam, prodigalitem vocant liberalitatem, obscenitatem vocant urbanitatem. Rursum superbum vocant magnanimum, humilem vero pusillanimum; temerarium vocant audacem, modestum simplicem; gulosum vocant jovialem, abstemium autem scrupulosum, et ita de cæteris.

Hic tertius et summus est impii iudicii et impietatis gradus. Hi enim totam virtutum et vitiorum formam naturamque inverunt et pervertunt, perinde ac si quis humanitatem homini adimeret, eamque bestiae equipiam transcriberet, ac feritatem a bestia in hominem transferret; itaque faciunt ut homines vitium pro virtute capessant, virtutem vero quasi vitium abominentur. Quocirca abominabilis sunt Deo, qui proinde eis vix æternæ maledictionis intentat, dicens, *Isaia 7*, 20 : « Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum ! » Ubi illustres hæc de re sententias S. Gregorii et S. Maximi recitavi. Huic Salomonis sententia parallela est illa Arabum, *cent. 1*, num. 11 : « Esto unicuique libra, » id est esto unicuique æquus et justus.

16. QUID PRODEST STULTO HABERE DIVITIAS, CUM SAPIENTIAM EMERE NON POSSIT? — Hebraice, ut quid

pretium in manu stulti, ut erat sapientiam, et cor non est ei? Ita Pagninus, et Aben-Ezra: *Ut quid, ait, opes stulto, cum corde careat, id est cum nulla sapientia cupiditate teneatur, ideoque indocilis sit et sapientia incapax?* Sensus ergo est, q. d. Frustra stultus, id est vitiosus, habet divitias, cum iis sapientia per se emi nequeat, nec ipse habeat cor, id est animum et prudentiam, ad eam comparandam, ut scilicet suis opibus comparat sibi libros et viros sapientes, qui cum sapientiam doceant, imo cum ipse sit vecors et excors: hinc divitias ad sua vitia, puta gulam, libidinem et fastum, abutitur. Divitias ergo in manu stulti sunt id quod gladius in manu furentis, qui scilicet ex furore eo uti nescit, sed ad suam et aliorum læsionem abutitur. Est misos; parum enim dicitur, sed plus significatur; dicitur enim opes non prodesse, sed significatur eas obesse, et nocere plurimum stulto, utpote quem faciunt superbum, gulosum, luxuriosum, etc. Significat Salomon divitias sine sapientia esse inutiles et vanas, imo noxias, eo quod a sapiente per sapientiam in opera utilia pietatis et misericordiae sapienter expendi debeant. Unde Septuaginta, et ex iis S. Ambrosius, lib. 1. *Offic. cap. xxvii*, vertunt, ut quid abundant pecunia imprudenti? acquirere enim sapientiam excors non poterit. Unde infert S. Ambrosius : « Primus igitur officii fons prudentia est. »

Secundo, Chaldaeus vertit, *ad quid prodest negotiatio vel mercatura stulto, qui non habet cor, neque scientiam?* q. d. Mercator qui totus intendit mercatorem et lucro, ut augeat opes, nec habet cor, id est animum et prudentiam ad comparandam sapientiam, id est virtutem qua honeste vivat, et ad felicitatem opesque coelestes perveniat, hic utique stultus est, ac frustra merces opesque acquirit. Unde Aristoteles, lib. II *Rhetor. cap. xvi*: « Divitiæ, ait, nihil fere aliud sunt quam felix amentia. » Et S. Chrysostomus, homil. 7 in *epist. ad Colossenses*, ait cupiditatem discendi esse beluam et monstrum monstrosius Scylla, Chimera et Hippocentauro, ac proinde cupidum « habere omnes simul belluas. » Idem S. Chrysostomus in *Catena Græc.* : « Sensus, ait, mysticus est: Quorsum paganus aut hereticus datur sapientia, cum ad damnationem suam illa abutatur? Quorsum discere festinas, cum ante omnia illud parare te oporteat, quod omnibus pecuniis prestantius, et ad salutem animarum magis necessarium est, nempe sapientiam? »

Ex dictis patet radicem et quasi rationem a priori hujus sententiæ esse prestantiam sapientie et villatam opum, ex qua fit ut opes sapientia velut instrumenta subservire, ab eaque regi recteque et sapienter expendi debeant, ut suum finem, ad quem a natura et a Deo create sunt, assequantur; quo fit ut stulto qui sapientia caret, opes sint inutiles et noxie.

Symbolice Beda, Dionysius, Cajetanus, Jansenius et alii : Divitiæ spirituales, inquirunt, sunt

Scriptura, ingenium, scientia, eloquentia, quin et fides; sed hæc non prosunt homini, etiam Christiano, si stultus, id est vitiosus sit, quia per hæc veram sapientiam, id est gratiam et gloriam, comparare nequit, eo quod vitis suis addictus sit. « Quid prodest, ait Beda, Judæo vel heretico habere divitias Scripturæ, cum in his Christum intelligere non possit? Quid malo Catholico expedit divitias habere veræ fidei, cum sapientiam piæ actionis habere neglexerit? » Unde Cyrillus in suis *Proverbiis* (uti citat hic Dionysius) : « Avaritia, ait, habet oculos, sed non visum; nam bonum diligit, sed summum bonum (propter quod cætera appetenda sunt) non agnoscit. » Hinc Abas Nestoros apud Cassianum, *Collat. XIV*, cap. xvi, ex hac Salomonis sententiæ docet malos veram scientiam habere non posse. Esto enim mali subinde sint philosophi, et calleant omnes humanas disciplinas; tamen veram scientiam, quæ in Dei cognitione, amore et cultu consistit, obtinere nequeunt.

QUI ALTAM FACIT DOMUM SUAM, QUÆRIT RUINAM; ET QUI EVITAT DISCERE, INCIDIT IN MALA. — Hic versus deest in Hebræo, nisi quod in eo vers. 19 habeatur : « Et qui exallat ostium, querit ruinam, » unde hæc sententiam manasse censet Jansenius; sed Noster eam transcripsit ex Septuaginta qui sic habent, qui excelsam facit domum suam, querit contritionem; qui autem tortuose accedit ad descendum, incidit in mala. Græce est, *ὁ δὲ ἐκείνων τὸν πύθιν, quod Complutenses vertunt, reuens discere incidit in mala*; Auctor vero *Catena Græc.* : « Qui ea quæ scire debet discere detrectat, incidit in mala; » Romani autem : « Qui tortuose accedit; » *ἐκείνων* enim græce vocatur obliquum, tortuosum, flexuosum, incurvum, distortum, confragosum, malignum, pravum; inde *ἐκείνων* idem est quod obliquum, intoqueo, incurvo.

Grammaticè, sive per corticem littæræ, significat eos qui altam ædificant domum, ruinam sibi accersere; nam

Summa petunt validi sternuntque cacumina venti.

Rursum alta domus sua mole et pondere dehiscunt et ruunt, nisi magnis fundamentis crassisque parietibus sint subnixæ; hosce autem sepe negligunt avari, sed superbi, qui alta spectant domorum fastigia, nec attendunt ad fundamentorum et parietum soliditatem. Qui ergo altam facit domum, querit ruinam et contritionem, ut scilicet reus repente nimis alta domus conlata edificatorem cum habitatoribus suis.

Jam sub hoc cortice littæræ et sensu quasi grammatico parabolice, et quasi medullitis significatur primo, eos qui suas fortunas et familias impendio ditare et exaltare volunt, accersere sibi ruinam, tum quia citè maleque parta cito dilabuntur, juxta illud cap. XIII, vers. 11 : « Substantia festinata minuetur; » tum quia res omnes hujus mundi caducæ sunt, cumque ad summum

et ad culmen pervenerunt, deficere et prolabi incipiunt.

Secundo, significat eos qui modum excedunt, et nimis magna moliantur, prolabi et sua se ruina involvere. Ita S. Chrysostomus in *Catena Græcor.* : « Qui modicum excedit, inquit, in penuriam tandem dilapsus deterior evadit; ut domus, dum in altitudinem justo celsiore erigitur, ruinæ periculo exponitur (fundamenta namque impositam molem sustinere non valent); ita in amentia quoque res habet. Cum enim rationis nostræ basi onus imponimus, quod ferre nequit, deorsum ruat. »

Tertio, significat eos qui superbe magnos ambiunt honores, dig itates et prelaturas, atque officia capessunt sulliniam, quæ suas vires et dolos superant, inde cum dedecore decedunt, cum eorum ineptitudo vel ambitio, vel aliud scelus patet. Hinc discere insipientes esse, qui cum gaudio officium regendi alios suscipiunt, pro quibus exactam Deo reddidit rationem. Quare verum est illud vulgo tritum : « Vita privata, vita beata. »

Quarto, significat eos qui jactant suam doctrinam plus æquo, quicquid docere volunt quod non didicerunt, ut habeantur doctores, trahantque post se greges discipulorum, cum probro deseri vel deponi, dum eorum ignorantia et vanitas pateat. Ita paremiam hæc interpretatur ipse Salomon, dum eam explicans subdit : « Et qui evitat discere, incidit in mala, » puta in probrum, infamiam, privationem cathedræ, etc. Ratio a priori est, quod mala evitari nequeant, nisi illa per prudentiam prævideantur, et prævisa amoveantur; prudentiam autem discere negligi stultus, quo fit ut per impudentiam in mala corruat. Pro evitat græce est *ἐκείνων*, id est obliquans, detorqueus fabricam discipline et doctrinæ; qui enim erigere mollitur sine magistro, qui est instar periti architecti, hic eam obliquat et detorquet, ac proinde ruinæ obnoxiam efficit. Sensus ergo est, q. d. Sic ut is qui aedes altius attollit sine perpendiculi ac regulæ examine, ædificium statim ruiturum extruit : sic pariter sapientia que sine præceptore ac doctore construitur, velut indirectus et incurvus paries, ubi altius erecta est, multis erroribus depressa labescit. Nam præceptoris institutio similis est perpendiculi ac regulæ, quo sapientie structura regitur, ne illis erroribus incurvata hiscat vel fatiscat. Accedit Auctor *Catena Græcor.*, qui sic explicat, q. d. « Qui cognitionem qua pollet, nimium effert, ille ab ea tandem deorsum deturbabitur. » Et Hugo Victorinus, lib. I *Didascal.* : « Principium discipline, inquit, humilitas est, et nihil addidit inflata superbia, qua quis vult sine alterius hominis adjuutorio ad virtutis fastigium evolare. Qui altam facit domum suam, querit ruinam; et qui evitat discere, incidit in mala. Non omnes qui altas ædificant domos, ruinam querunt, sed illi qui sine firmo fundamento, et sine debita conjunctione lapidum, magis quam mo-